



Istituto per il Lessico Intellettuale Europeo e Storia delle Idee  
Consiglio Nazionale delle Ricerche  
<http://www.iliesi.cnr.it>  
<http://www.iliesi.cnr.it/covid19.php>

**ILIESI**  
CNR

## Illness in ConText

parole di filosofia e orientamento nella pandemia

testi e articoli

Gabriel Naudé, *De fato, et fatali vitae termino (Quaestio quinta iatrophilologica)*; edizione: Genevae, apud S. Chouët, 1647, pp. 157-332). Trascrizione a cura di A.L. Schino. ILIESI-CNR 2020.

Parole chiave: **fato astrale**

GABRIEL NAUDÉ

## De fato, et fatali vitae termino

a cura di Anna Lisa Schino

Dipartimento di Filosofia  
Sapienza Università di Roma

*Avvertenza:* La numerazione delle pagine fa riferimento all'edizione *Gabrielis Naudaei PENTAS quaestionum iatrophilologicarum*, Genevae, apud S. Chouët, 1647. La *quaestio* è dedicata: «Clarissimo, et Eruditissimo viro Ioan. Beverovicio Doctori Medico Patavino».

\* \* \*

[157]

Quaestio quinta iatrophilologica  
De fato, et fatali vitae termino

Fato ne meo, an potius tuo, Beverovici Doctissime, factum dixerim, ut aestuoso hoc, et inclementi caelo, quo velut Martialis inquit ad quemdam ludimagistrum<sup>1</sup>,

*Albae leone flammeo calent luces,*

*Tostamque fervens Iulius coquit messem;*

in his occupationibus aulicis, quae forensium adeo similes sunt, ut, auctore Zenobio, veteres non male Aulam appellasse videri possint, quam nunc non ἀνλήν, sed ἀρχεῖον, hoc est, «Praetorium», et «forum judiciale» dicimus, in his denique solemnibus ferijs, quibus non magis

[158]

Iustitium quam Musistitium tota Urbe celebratur, mihi de fato scribendum sit? Evidem, cum animum adverto ad dignitates, et lucubrations tuas, quae totae in fato, aut de fato sunt, et meam ex adverso naturam intueor, cane pejus et angue non modo fatum ipsum odisse, sed Vates, et Ariolos, qui ab ejus decretis pendent, hominum omnium vanissimos semper existimasse; fateri sane cogor, non me fato meo duci, ut de fato scribam, sed tuum verius in causa esse, ut in ea celebri Quaestione de fatali vitae termino, quam tu μέγιστος ἐπανορθωτής amicis tuis librandam rationum ponderibus, excutiendamque proponis, hanc nullus, pro ea, qua tecum omnes conjuncti sunt necessitudine, indictam sibi, intentamque relinquat, unde cum ego majorem etiam in modum te observem, atque ita prae oculis feram, ut illud Satyrici non immerito possim usurpare<sup>2</sup>,

*Nescio quod certe est, quod me tibi temperat astrum:*

nulla idcirco ratione mihi committendum

[159]

putavi, ut in ea re officium meum desiderares, in qua tam obsequentes habuisti viros omnes, quicumque sunt in literatorum comitijs non capite censi, quod summo sibi honori duxerint

<sup>1</sup> Marginalia: Lib. 10 epigr. 62.

<sup>2</sup> Marginalia: Pers. Satyr. 5.

percunctari a te de hac difficillima Quaestione, et Epistolis, quas ad ipsos transmittis, pari cum humanitate et doctrina respondere.

1. Has vero si maxima non modo varietatis, sed novitatis etiam laude exaratas dixerim, non erit profecto, cur quisquam mihi jure succenseat; Quandoquidem, cum in Auctores illos respicio, quos tam antiquorum in excolenda philosophia contentio, quam nostrorum in ejusdem finibus proferendis aemulatio, ad illud impulerunt, ut cogitationes suas de fato scriptis committerent, sive me convertam ad Xenocratem, Chrysippum, Zenonem, Boëthum, Possidonium et Epicurum, quorum libri περὶ εἰμαρμένης laudantur a Diogene Laërtio<sup>3</sup>: sive ad *Philopatrum*, cuius nome debemus Nemesio<sup>4</sup>: sive ad Polyzelum, quem Alexander [160]

Aphrodisiensis librum de fato composuisse asserit: sive ad Bardesanem Chaldaeum, quem una secum Eusebius<sup>5</sup> ad nostram memoriam pervenire voluit: sive ad Hieroclem, et Diodorum Tarsi Episcopum, quorum, et hujus praesertim, luculentae synopses, ut Photij Bibliotheca<sup>6</sup> continentur: sive ad Georgium Gemistum Plethona, qui tractatum mira brevitate circumscriptum, et proditurum aliquando in lucem Allatij mei beneficio, edidit: sive etiam Alexandri Aphrodisei, Plotini, Plutarchi, Gregorij Nysseni, graecas de hac re commentationes evolvam, aut latinas Ciceronis, Tertulliani, D. Thomae, Bravardini, Colutij Pierij Salutati, Pietri Pomponatij, Iulij Syrenij, Sepulvedae, Lactantij, Domanini, Baldini, Ulpiani Veronensis, Iacobi Carpenterij, Omphalij, Riolani, nec non latentes adhuc in quorundam privatorum Bibliothecis, Hieronymi Cardani, et Simonis Portij: non minimi quidem facientes tractationes: quarum omnium magnam partem evolvi: nunquam tamen lectione ipsa

[161]

aut auditione deprehendi, quemquam ex illis fuisse, qui praeclaras illas mentis agitationes ad Quaestionem de Vitae termino, quemadmodum fecisti tu Beverovici, enuncieandam derivaret. Et vero, cum istud jam inde a principio hujus Disputationis innuere vellem, propterea dixi, lucubrationes tuas de fato esse. «Non enim opinor», ut te verbis ijsdem, quibus Iovium suum Divus Paulinus<sup>7</sup>, compellam; «dormiens, aut aliud agens, tantas oris, aut pectoris divitias coegisti», quantae scilicet in epistolicis tuis Quaestionibus apparent, in quibus «omnium Poëtarum floribus spiras, omnium Oratorum fluminibus, Philosophiae quoque fontibus irrigaris, peregrinis etiam dives literis Romanum os Atticis favis imples». Atque in tam varia eruditione totiesque ab ijsdem carceribus ad easdem semper metas recurrente, nihil prorsus admisces<sup>8</sup>

*Quod non proposito conducat et haereat apte.*

2. Sed dicebam propterea, dignitates tuas in fato esse quoniam aliter

[162]

loqui non possum, nec debui, de amplissimo munere, quod non ita pridem in urbe tua sustinuisti: maxime cum bonis auctoribus in more positum sit, magnas, et praecellentes dignitates, cum hominibus eveniunt, nova fata vocare: sic enim Juvenalis dixit,

*exempla novorum  
fatorum transi.*

<sup>3</sup> Marginalia: In vit. Philos.

<sup>4</sup> Marginalia: Cap. 6 de anim. et alibi.

<sup>5</sup> Marginalia: Lib. 2. de anima cap. ult.

<sup>6</sup> Marginalia: Numero 214. et 223.

<sup>7</sup> Marginalia: Epist. 38.

<sup>8</sup> Marginalia: Horat. ad Pison.

Et hoc modo Iuvenalem explicandum esse, tam liquido declarat Depranus Pacatus in Panegyrico Theodosij, ut perperam omnino faciat, qui haec ipsius verba, non eodem mecum sensu intelligenda existimat: «Nullam majorem Principum felicitatem esse crediderim, quam fecisse felicem, et intercessisse inopiae, et fortunam viciisse, et dedit homini novum fatum»: quod tu, Beverovici, cum nuper acceperis, non minus tuo merito, quam sapientissimorum hominum consilio, simulque de fatali vitae termino, supra quam dici possit docte, eleganterque scripseris, fecisti certe in eo tantum, ut magis tibi cum fato, quam mihi conveniat. Nam quod ad exitum, et

[163]

determinationem hujus quaestionis attinet, sic acriter pugnas in fatum ipsum, ut expugnes facili negotio quaecumque in ejus subsidium adversae partis fautores afferunt; nec aedepol minus quam ego pro certo habeas, anile esse, et plenum superstitionis, quicquid de fatali vitae termino a morosis quibusdam, et vilissimae opinioni mancipatis hominibus comminiscitur.

3. Verum priusquam aggrediar manipulos meos instructissimis tuis copijs adjungere, peto a te, Beverovici, ne me, quo plerosque illorum, qui tecum de hac re disputant, video deflexisse, in Theologorum penetralia seducas sed disserere me meo more atque instituto permittas, hoc est, libero, et quali praesertim uti decet hominem, magis ex officio rebus infimis, et naturalibus, contemplandis, quam sublimibus, et divinis addictum. Nam praeter quam D. Augustinus in libris supra Genesim ad literam<sup>9</sup>, multis contendit, fatum a sanitate fidei reiiciendum esse; et in opere de Civitate Dei<sup>10</sup>,

[164]

praeclera distinctione ostendit quomodo nomen ejusmodi usurpari absque ulla divinae majestatis injuria ab homine Christiano possit. «Omnia, inquit, fato fieri non dicimus, imo nulla fieri fato dicimus, quoniam fati nomen, ubi solet a loquentibus ponit, id est in constitutione Syderum, qua quisque conceptus, aut natus est, quoniam res ipsa inaniter asseritur, nihil valere monstramus; Ordinem autem causarum, ubi voluntas Dei plurimum potest, neque negamus, neque fati vocabulo nuncupamus, nisi forte, ut fatum a fando dictum intelligamus, id est, a loquendo». Ex quibus aperte patet, eos rectius facere, et ad Theologorum mentem convenientius, qui voluntatis, ac providentiae divinae nomina in piiorum Scholis usurpant, quam, qui fati momenta in ijsdem librant, quasi disputarent in porticu, aut in Academia; quod facere, quam divinis legibus adversum sit, ecce quomodo iterum suadet, atque inculcat idem Augustinus in primo ejusdem operis: «prorsus divina providentia regna constituuntur humana, quae si propterea

[165]

quisquam fato tribuat, quia ipsam Dei voluntatem, vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat». Praeter haec, inquam, quibus providentiae sua penes Theologos auctoritas asseritur, ita ut fati nomen, tanquam piaculi cuiusdam, penitus ab illis exulet, videntur mihi insuper tot difficultatum maeandris, et subtilitatum involucris implicitae, quae de providentia feruntur ab ipsismet Theologis sententiae, ut qui totam suam aetatem rerum divinarum studijs non impenderit, tutius meo judicio faciat, si abditis illis, et latentibus Divinae Naturae Secretis, non sese ulterius, quam par est, immisceat, sed aures potius, et mores accommodet huic, edecumatae fagacitatis, et mira semper ingenij judiciique praestantia, quae recta sunt et utilia praecipientis, Cornelij Taciti consilio, «Sanctius, et reverentius visum, de actis Deorum credere, quam scire».

<sup>9</sup> Marginalia: Lib. 2. cap. 25.

<sup>10</sup> Marginalia: Lib. 9.

4. His igitur, tanquam ex condicto tecum stabilitis, videtur mihi prima eorum, atque validissima ratio, qui

[166]

vitam hominis certis quibusdam et fatalibus terminis astringunt, ex pervulgata illa et communi hominum sententia ortum duxisse, qui omnia, quae in mundo sunt, non suis viribus et facultatibus niti, agere, pati, subsistere, sed immutabilis Adrastiae legibus, et Parcarum fusis, tanquam «nervis alienis mobile lignum», ad suas operationes obeundas, non impelli modo, sed duci, imo vero cogi voluerunt; ita ut nihil ultra praescriptos sibi a fato limites progrediatur, nihil citra subsistat, aut extra, vel aliter fiat, quam prout supremae rationi visum fuerit, qua mundum universum regi, et Orpheus in hymnis, et Chrysippus, Zeno, Boëthusque, ac Possidonus in libris de fato a Diogene<sup>11</sup> laudatis voluerunt: quasi hoc omne, quod ab illa decernitur, Proconsulis tabella fit, «quae, ut inquit Apuleius<sup>12</sup>, semel lecta, neque augeri litera una, neque minui potest»; aut Imperiale rescriptum, quod alias Byzantius Rector, Θέσφατον, nonnumquam χρησμῷδημα, saepius ἐπιθεσισμόν et λόγιον nominat,

[167]

quia nempe<sup>13</sup>

*grave, et immutabile sanctis*

*Pondus inest verbis, et vocem fata sequuntur.*

Ut propterea Seneca<sup>14</sup> fatum recte definierit, «necessitatem rerum omnium, actionumque, quam nulla vis rumpat», et cum ostendit, fatum expiationibus mutari non posse, in istius definitionis confirmationem prudenter addiderit<sup>15</sup>, «fata aliter jus suum peragunt, nec ulla commoventur prece, non misericordia flectuntur, non gratia, servant cursum irrevocabilem, ex destinato fluunt: quemadmodum rapidorum aqua torrentium in se non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem superveniens praecipitat, sic ordinem rerum, fati aeterna series rotat, cuius haec prima lex est, stare decreto». Neque ab hac sententia multum diversus est Ammianus Marcellinus<sup>16</sup>, ubi refert, Iulianum Imperatorem posthabuisse Salustij Galliarum Praefecti consilium, obtestantis, ne adeo intempestive, ac nondum exorata pace Numinum, in Parthos moveret, «quoniam, scilicet, nulla vis

[168]

humana, vel virtus meruisse unquam potuit, ut quod praescripsit fatalis ordo, non fiat»; Siquidem inaversibilis, immobilis, insolubis, et quod habet Apuleius in Cosmographia<sup>17</sup>, «ineffugibilis est necessitas fati»: nec, ut idem inquit in Mylesijs narrationibus, «vel consilio prudenti, vel remedio sagaci divinae providentiae fatalis dispositio subverti, vel reformari potest». Quibus probatissimorum auctorum locis, puto me satis abunde demonstrasse id, quod leves, et pene dicam fatui homines, in fato primum esse contendunt, nempe decretorum constantiam duram, inexorabilem, et quam mutare nemo, ac ne flectere quidem possit.

5. Quamobrem consentaneum est, ut, quod ipsi alterum in fato esse dicunt, potestatem scilicet erga res omnes, quae suo ambitu mundi compages amplectitur, ita ut quaecumque in ipso sunt, tamdiu permaneant<sup>18</sup>.

<sup>11</sup> Marginalia: In vita Zenon.

<sup>12</sup> Marginalia: 1. Florid.

<sup>13</sup> Marginalia: Stat. ad Domit. 1. Theb.

<sup>14</sup> Marginalia: Lib. 2. nat. cap. 36.

<sup>15</sup> Marginalia: Ibid. cap. 35.

<sup>16</sup> Marginalia: Lib. 23.

<sup>17</sup> Marginalia: Lib. 9.

<sup>18</sup> Marginalia: Lucret. Lib. 5.

*Indupedita suis fatalibus omnia vinclis,*  
 quamdiu ex fatorum praescripto statutum fuerit, hoc ipsum, facta singulorum  
 [169]

enumeratione, comprobemus. Et sane quod ad molem ipsam universi et machinam pertinet, quam Tullius libro de somnio Scipionis «Dei templum», et tertio de finibus, «communem Deorum et hominum domum, civitatem, et urbem» non ineleganter vocabat, tam expresse Boëthius<sup>19</sup> fatorum in eam impetum asseruit, ut sagacioribus ingenij, et φιλαριστοτέλει tantum non imponat. Sic enim ille: «series fati coelum, et sydera movet, elementa invicem temperat, et alternam transmutationem transformat, eadem nascentia, occidentiaque omnia per similes foetuum seminumque renovat progressus: actus autem, fortunasque hominum indissolubili causarum connexione constringit». Quam sententiam si quis infringere velit rationibus ex contingentia petitis, et liberae voluntatis in hanc, aut illam partem inclinatione labefactare contendat<sup>20</sup>: «advolabit continuo universus ille doctissimorum chorus, qui asseverans, et comprobans fato fieri quaecumque fiunt, eripiet nobis ex manibus opinionem istam, et inanibus nos arguet

[170] persuasionebus fidere: quiquid in mundo, inquit, gestum est, et geritur, olim definitum, et fixum est, habetque immobiles causas, per quas sibi res nexae inexpugnabilem conservant praeteritorum cum imminentibus necessitatem».

6. Et quidni res ita se haberet in rebus coelo Divorumque imperio subjectis, cum eadem necessitas Deos ipsos alliget, et irrevocabilis Divina pariter et humana cursus vehat, neque Iuppiter ipse fata pervertere, aut immutare possit, saltem ex Lucani mente, cuius ista sunt<sup>21</sup>:

*Finxit in aeternum causas, qua cuncta coërcet,*

*Se quoque lege tenens.*

Nec ab eo quicquam dissident Philemon, et Seneca<sup>22</sup>. Quorum ille dicebat: «sunt Regibus servi, Rex servus est Deo, Deus necessitati». Hic vero: «grande solatium est cum universo rapi. Ille ipse omnium conditor, ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur, semper paret, semel jussit». Ex eoque Martialis in hominum solatium, epigramma de morte Sarpedonis, et [171]

filij Domitiani his versibus concludit:

*Numina cum videoas duris obnoxia fatis,*

*Invidia possis exonerare Deos.*

7. Cum autem in Orbe praestantius nihil sit, postquam a Iove, et Deorum turba discesseris, ipsa hominum multitudine, aut suis legibus viventium, aut alterius melioris imperio subditorum, quae duae imperiorum formae pae caeteris laudabiles semper existimatae sunt; consequens est, ut has quoque durationis suaे periodos, et incrementi simul, ortusque, ac inclinationis causas, fatorum legibus debere ostendamus: non advocato solum in assertionis ejusmodi confirmationem Lucano, dum inquit<sup>23</sup>,

*In se magna ruunt, laetis hunc Numina rebus*

*Crescendi posuere modum.*

<sup>19</sup> Marginalia: 4. de consolat.

<sup>20</sup> Marginalia: Arnob. lib. 7. contra gent.

<sup>21</sup> Marginalia: Lib. 2.

<sup>22</sup> Marginalia: Libr. de provid. cap. 5.

<sup>23</sup> Marginalia: Lib. 1.

Sed Livio, Cicerone, Vopisco, hominibus compositae mentis, nec tam Parnassi somnia, quam maximarum rerum momenta, ad historicae veritatis normam referentibus, quibus idcirco fidem non habere, tam piaculo vicinum

[172]

esset, quam aequum est praeclaros illorum conatus, quos ab antiquis omni exceptione majores accepimus, ita etiam approbatione nostra ornatores ad posteros transmittere. Memorantur autem a Livio<sup>24</sup> «decem viri fatis faciendis, carminum Sybillae, ac fatorum populi interpres»; et apud Ciceronem<sup>25</sup> narrant aliqui, «ex fatis quae Vejentes scripta haberent, Vejos capi non posse»: et ipsem ad Atticum scribens, «Omnis, inquit, qui ad illa arma fato sumus nescio quo, Reipublicae misero, funestoque, compulsi». Vopiscus denique initio vitae Cari Caesaris amborum opinionem his verbis confirmat. «Fato Rempublicam regi, eamque nunc ad summum evehi, nunc ad minima retrahi, Probi Caesaris mors prodidit». Atque hac persuasione ductus Ulpicus Syllanus, quemadmodum ab eodem Vopisco<sup>26</sup> literis consignatum est, irrumptibus in Imperium Romanum Marcomannis, ita in Senatu post multa locutus est, «agite igitur Pontifices, qua puri, qua mundi, qua sancti, qua vestitu animisque sacris commodi, templum ascendite,

[173]

subsellia laureata constituite, veteranis manibus libros evolvite, fata Reipublicae quae sunt aeterna perquirite».

8. Verum ab hominibus communis societatis et Imperij vinculo simul colligatis, mancipatisque melioris cuiusdam aut potentioris arbitrio, cuius fatis, tam ipsi in commune subditi sint, quam unius corporis membra, animae simul ipsa continent, promoventique ad suas singula quaeque actiones obeundas, parent; veniendum nunc est ad eosdem, quatenus a supremis illis potestatibus liberi sunt, confideratos, et excutiendum diligentius, num Fata separatim ab universis, singulos etiam gubernent. Quae controversia quam in partem determinanda sit, non quisquam melius explicat quam Herodotus his verbis<sup>27</sup>: «Ξεῖνε, ὅ, τι δεῖ γενέσθαι ἐκ τοῦ θεοῦ, ἀμήχανον ἀποτρέψαι ἀνθρώπῳ. οὐδὲ γαρ πιστὰ λέγουσι ἐθέλει πείθεσθαι οὐδείς. Id est, o hospes, quod divinitus contingere debet, homo nulla a se arte dispellet, ac ne verisimilia quidem dicentibus, fidem habebit». Quae postrema sententiae pars

[174]

mire illustratur exemplis Cassandrae apud Virgilium; et Hemonidis illius; qui apud Statium dicitur<sup>28</sup>:

*Non veritus prohibere ducem, sed fata monentem  
privavere fide.*

Perbelle autem Herodoto<sup>29</sup> concinit Quintus Curtius, dum ait: «eludant licet, quibus forte, et temere humana negotia volvi, agique persuasum est, equidem aeterna constitutione crediderim, nexusque causarum latentium, et multo ante destinatarum, suum quemque ordinem immutabili lege percurrere». Quod videtur etiam Homero non improbatum fuisse, ut ex versibus illis apparet, qui ex Stobaeo in exemplis de rerum natura referuntur<sup>30</sup>:

*Nemo nocens, nemo bonus has in luminis oras*

<sup>24</sup> Marginalia: Lib. 10.

<sup>25</sup> Marginalia: I. de Divinat.

<sup>26</sup> Marginalia: In Aurelian.

<sup>27</sup> Marginalia: Lib. 9.

<sup>28</sup> Marginalia: 2. Thebaid.

<sup>29</sup> Marginalia: Lib. 5.

<sup>30</sup> Marginalia: Titolo 7.

*Editus, evadet fati quod lege paratur.*

Unde cum illud ipsum insinuare vellet, more tamen satyrico Iuvenalis rem a contemplatione in exempla domestica pertraxit, et alicubi dixit<sup>31</sup>:

*Servis regna dabunt, captivis fata triumphos.*

[175]

Alibi vero<sup>32</sup>: «Plus etenim fati valet hora benigni, Quam sinos Veneris commendet epistola Marti, Et Samia genitrix, quae delectatur arena».

9. Sed quid opus est tot congerere testimonia in rem, qua nulla sermonibus hominum frequentior intervenit? Quasi, aut minus inter fatorum asseclas certa esset, aut usu ipso, et experientia, ad quam ipsi saepissime provocant, non ita comprobata. Sane tantum abest, ut ex eorum mente fatalia illa decreta hominibus invertere liceat, ut ijsdem quoque subdantur animalia bruta, nec ea modo, sed aedificia, lapides, atque ut rem, quae per se valde diffusa est, in pauca contraham, omnia quaecumque, seu animantes sint, seu vivi stipites, emortuique, aut ligna dedolata, mundi ambitu continentur. Nam si Poëtae stellatofidem habemus<sup>33</sup>

*Sors diversa etiam arboribus contingit. Ab euro*

*Frangitur haec, aut eruitur radicibus illa,*

[176]

*Caeditur in varias partes, aut pabulae flammae,  
Quaedam fulmineo in praeceps detruditur ictu.*

*Piscibus, atque feris, et rebus denique cunctis*

*Arbitrio fati sors est sua cuique tributa.*

Si autem Virgilio, quem ea de re Castelvetrus audaciae postulat, naves ipsae Parcas habent durationis suaue moderatrices, ne dicam lanificas<sup>34</sup>:

*Ergo aderat promissa dies, et tempora Parcae*

*Debita complerant, cum Turni injuria matrem*

*Admonuit sacris ratibus depellere taedas.*

Quin etiam Romae in Hemicyclo templi sanctae Martinae<sup>35</sup>: «Secretarium amplissimi Senatus fatali igne subversum fuisse» legitur: et multi, quemadmodum refert Prudentius:

*Adscribunt saxis Lachesis male fortia fata,*

*Tectorumque trabes fusis pendere rotatis*

*Credunt, atque ipsis tribuunt decreta tigillis.*

Ac in summa, quantum ego longissime possum in scriptores antiquos mentem reflectere, videtur mihi, quasi signatis tabulis constare, quod, ut concludit Lucanus<sup>36</sup>,  
*praeceps agit omnia fatum.*

[177]

10. Propterea que non mirum est, si ejus nominis, quantumvis anile sit, et plenum superstitionis, tanta fuit apud veteres Romanos reverentia, ut, veluti Servius in Commentarios suos<sup>37</sup> retulit, fato tanquam potentiori alicui Deo, vitae mortisque imperium concederent: itemque fata scribunda advocarent, ultima primae hebdomadis die, qua nomina

<sup>31</sup> Marginalia: Satyr. 7.

<sup>32</sup> Marginalia: Satyr.164

<sup>33</sup> Marginalia: In Scorp.

<sup>34</sup> Marginalia: Eneid. 4.

<sup>35</sup> Marginalia: Lib. poster. contra Symmachum.

<sup>36</sup> Marginalia: Lib. 6.

<sup>37</sup> Marginalia: Ad 8. Aeneid.

pueris imponebant; sed eo tamen eventu, qui refertur a Tertulliano<sup>38</sup>, scilicet, ut heac postea, crudelia, immatura, praepostera, acerba, turbata, indigna, dira, iniqua, male judicantia incusarent; mollia vero, benigna, fausta, raro ab ijsdem vocarentur. Quid plura? Templum etiam illis dicaverant, quod licet mihi nondum apud probatos scriptores observatum fuerit, facile tamen est illud ex Procopio, conijcere in historia Gothica<sup>39</sup>, ubi in hunc modum de Iano, et ejus templo loquitur, «Ianus hic primus et princeps est antiquorum Deorum, quos Romani sua lingua penates dicunt: habuit sacellum in foro, ex adverso Curiae,

[178]

paululum supra TRIA FATA. Ita enim Romani Parcas nominare consueverunt». Et si quis Procopio ad stipulationem dari postulet, Anastasium cedo testem hac in re summopere idoneum in vita Honorij. «Fecit Ecclesiam B. Adriano Martyri in tribus fatis, quam et dedicavit, et dona multa obtulit». Sed de templis licet nondum satis apud me exploratum sit, quid statui debeat, de votis tamen, quae fato nuncupabantur, dubium profecto nullum esse potest, cum in veterum inscriptionum Thesauro<sup>40</sup> plura ejusmodi habeantur; et Valentiae praesertim monumentum esset, tribus mulierculis cingulo tenus exculptis, amictu pulchro, et ornamento capitis turbinato incisum, cum hac inscriptione,

FATIS

Q. FABIUS NYSUS

EX VOTO;

et Edimburgi in Cambria, haec alia Epigraphe similiter legeretur,

GENIO LOCI FORTUNAE REDUCI

ROMAE AETERNAE, ET FATO BONO

C. CORNELIUS PEREGRINUS

[179]

TRIBUNUS COHORTIS, ETC.

11. Enimvero cum pluribus de causis fatum tanta in veneratione penes antiquos foret, et utilitatis non minus, quam damni consideratione fluctuantes inter spem et metum homines, suspensosque paribus, veluti momentis, in sui metu et observatione detineret; facile tamen mihi persuadeo, potiorem apud Romanos omni spe emolumenti fuisse, mortis acceleratae timorem, quem, modo vietas illas et rugosas anus vitae hominum pro arbitrio texendae praepositas, ustulatae carnis nidore, votisque, et precibus sibi faventes, haberent, non aliunde arbitrabantur posse contingere: sic enim aerae febri et scabiei, positae olim fuerunt, non tam ejusmodi numinibus demerendis, quam placandis averruncandisque calamitatibus, quas in genus humanum immittere solebant, quotiescumque non bene ipsis cum illo conveniebat. Ut merito Prudentius<sup>41</sup> cultum hunc, non tam religionis, quam furoris et amentiae nomine appellandum duxerit.

[180]

*Par furor illorum, quos tradit fama dicatis  
Consecrasse deas, febrem scabiemque sacellis.*

Mortem vero, aut si mavis, vitae terminum in fati potestate fuisse, tam notum est ex supra laudatis variorum auctorum locis, quae omnia fatorum imperio mancipata ab initio fuisse declarant, ut illud velle locupletiori testimoniorum apparatu demonstrare, propemodum fit cassae et inanis operae. Nam si fatorum decreto singula vitae nostrae momenta continentur,

<sup>38</sup> Lib. de ani. cap. 39.

<sup>39</sup> Marginalia: Lib. 1.

<sup>40</sup> Marginalia: Gruth. pag. 94 et 1017.

<sup>41</sup> Marginalia: Hamarthigen.

necesse proculdubio erit, ut mors, quae vitae finis est, ex ipsorum etiam arbitrio dependeat: et merito poterimus cum Quintiliano dicere,<sup>42</sup> «Fato vincimus, languemus, convalescimus, morimur; medicina quid praestas, nisi ut juxta te nemo desperet?». Verum quoniam in hoc maxime versatur praesens controversia, ut ostendamus, non modo contra vulgus imperitorum, sed adversus aliquos Principes Philosophos, nihil esse ipsorum pronunciatio inanius, quo fatalem vitae terminum inter κυρίας δόξας referunt:

[181]

et mihi ea de re dicturo tot in mentem veniunt, inciduntque, etiam sub acumen calami, ut timere non debeam<sup>43</sup>,

*Exigua ne fraenaret materia impetum.*

Age, Beverovici, commoda mihi paululum faventiae, quo neutiquam, ut pedaneus judex, sed veluti Tribunus aliquo militum praesidio stipatus, tuas in partes concedam. Et sane res ipsa tam evidens est, *ut fato concedere probatissimis omnibus linguae latinae magistris*, idem sit penitus, *quod mortem oppetere*. Sic enim Plinius junior in panegyrico locutus est: sic poëtae omnes, apud quos tam frequens est fatorum appellatio pro ipsa morte, ut nulla aequa vox in eorum libris majori studio usurpata fuisse conspiciatur. Quemadmodum unius Martialis exemplo constare potest, dum eo sensu dixit in Epigrammate de filio Sili<sup>44</sup>,

*Festinata sui gemeret cum fata Severi*

*Silius Ausonio non semel ore potens.*

Et in alio, de Festo Domitianī amico<sup>45</sup>,

*Hanc mortem fatis magni praeferre Catonis*

[182]

*Fama potest.*

Ac tandem in elegantissimo de Portia Bruti uxore<sup>46</sup>,

*Conjugis audisset fatum cum Portia Bruti*

*Et subtracta sibi quaereret arma dolor.*

Nempe haec verbi significatio inde proculdubio petita est, quod crederent veteres, quo temporis puncto quis nasceretur, eo etiam ipso fataliter constitui, quando, et quomodo occumbere deberet. Hoc enim Manilius dixit,

*Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.*

Hoc Seneca in Oedipo censem,

*Primusque dies dedit extremum.*

In hoc denique Firmicus Maternus<sup>47</sup> una cum pluribus alijs convenit, quod «fatum nobis vitae januas pandit, finemque vivendi fatalis legis necessitas statuit». Atque ita certum est, vivere mortales quamdiu fata sinunt, quamdiu cujusque fortuna bona, quamdiu mala patitur, nec ultra: imo quod magis admiratione dignum est, non ipsismet dijs, quemquam mortalium ab hoc inevitabili decreto immune preastare

[183]

concessum est. Nam Thetis apud Statium<sup>48</sup>, non semel queritur quod Achilli filio,

*metuenda propinquant*

*Tempora, et extremis admota pericula metis.*

<sup>42</sup> Marginalia: In declamat.

<sup>43</sup> Marginalia: Phaedrus.

<sup>44</sup> Marginalia: Epigrammat. 88. lib. 4.

<sup>45</sup> Marginalia: 74. lib. 1

<sup>46</sup> Marginalia: 43. lib. 1.

<sup>47</sup> Marginalia: Lib. 1.

<sup>48</sup> Marginalia: Lib. 1. Achil.

Sic inter Bionis Smyrnei fragmenta simul collecta a Fulvio Ursino, legitur carmen quoddam mire festivum, ac elegans, in Hyacinthum puerum, qui, ut in Aeschylo quodam loco narratur, ab Apolline amasio suo inter jaculandum interfactus est; atque inde sumpta occasione narrat idem auctor, incredibili maerore captum fuisse Apollinem et quaesisse omnia remedia, quin Medicorum opem implorasse, tandemque unxisse corpus, ac ipsum etiam vulnus ambrosia, et nectare; sed cuncta haec incassum cessisse, quod, ubi fatalis ingruit necessitas,

*Nil contra auxilij ferunt  
Herbae, quas docuit suum  
Phoebi cura Machaonem  
Germanunque Machaonis,  
Humanum miserans genus.*

[184]

Quemadmodum ex Euripide refert Stobaeus in excerptis de rerum Natura. Neque alia videtur etiam fuisse Homeri sententia, cum Iovem cruentas guttas fundentem inducit, propterea quod Sarpedonem filium a morte, reluctantibus scilicet fatis, eripere non posset. Ex eoque Horatius<sup>49</sup>, ne sibi, aut amicis quicquam de fatorum indulgentia deperiret, unius amoenioris vitae studium, velut pro stadio sibi proponit, magna animi voluntate, totisque viribus, et lacertis, graviter emetiendo.

*Huc vina, et unguenta, et nimium breves  
Flores amoena ferre jube rosae,  
Dum res, et aetas, et sororum  
Fila trium patiuntur atra.*

Eoque tandem vanitatis opinio illa devenit, ut, si quis a morbo aliquo convalesceret<sup>50</sup>, «is fati ope, non medici», evasisse diceretur, et accepti beneficij gratiam soli fato deberet. Quod Martialis Epigrammate ad Licinium satis confirmat<sup>51</sup>:

*Redderis heu quanto fatorum munere nobis*

[185]

*Gustata lethe pene remissus aqua.*

Si vere occumberet, eo minus acerba mors illi videretur; quod: «Iovis literariae archivique caelestis custodes Parcae», ut a Martiano Capella vocantur, hanc vivendi metam posuissent, quod praeterire mortalium nemo possit. Et in hunc sensum memini me legisse quosdam versus non indignos omnino, quibus hinc inter selectiores alios locus concedatur:

*Parce precor tristes questus effundere, vixi,  
Nec erat in fatis longior hora meis.*

At enim praeter has rationes, quae cum amaenissimae sint, tum etiam auctoritatis in se non minimum obtinent; forsitan, aliquis hircosa illa de gente centurionum severiores quasdam, magisque porticu vel Academia dignas in medium proponet. Cujusmodi sunt quas mutuari solent fatorum asseclae ab exemplo Regis Exechiae, et solemnii illa Iobi confessione<sup>52</sup>, «Breves dies hominis sunt, numerus mensium apud te est, constituisti terminos ejus, qui praeteriri non poterunt». Aut etiam ad Aristotelis effatis.

[186]

<sup>49</sup> Marginalia: Ode 3. lib. 2.

<sup>50</sup> Marginalia: Ausonius.

<sup>51</sup> Marginalia: 47. lib. 7.

<sup>52</sup> Marginalia: Cap. 14.

Inter quae celeberrimum est illud quod in libris de generatione animalium habetur<sup>53</sup>: «Ἐύλόγως δέ οἱ χρόνοι, καὶ τῶν γενέσεων καὶ κυήσεων, καὶ τῶν βίων, μετρεῖσθαι βούλονται κατά ψύσιν περιόδοις». Hoc est, «Ratione autem optima, tempora omnium, et generationum, et graviditatum, et vitarum, dimensionem circuitibus sibi exposcunt recipere». Itemque aliud ex libris de ortu, et interitu, quod si non verbis, saltem re ipsa majorem in modum prioris illius sententiam confirmat<sup>54</sup>. «Διὸ καὶ οἱ χρόνοι, καὶ οἱ βίοι ἔκαστων ἀριθμὸν ἔχουσι, καὶ τούτῳ διορίζονται. Πάντων γάρ ἔστι τάξις, καὶ πας χρόνος καὶ βίος μετρεῖται περιόδῳ». Id est, «Itaque tempora, et vita cujusque rei, numero continentur, eoque definiuntur: omnium enim rerum descriptio, et ordo est, omneque tempus, ac vita certo quodam termino circumscribitur». Denique trahunt etiam in partes suas Avicennam<sup>55</sup>, et haec ipsius verba, tanquam si difficultatis nodum resecare possent, plurimi ducunt, «est mors naturalis cuique individuo destinata, secundum suam primam complexionem, usque ad terminum, quem

[187]

in sua potestate habet, ad suam humiditatem conservandam. Unumquodque enim eorum terminum praefixum habet». Sed quid Avicennam dico? Cum nihil in poëtarum fabulis, nihil in Stoicorum nugis et affanijs, nihil in Astrologorum vanissimis observationibus, aut Platonicorum fumis intactum relinquant, quod sibi contra fatum deridentes, non Epicureos modo, sed Peripateticos, et naris emunctae viros, auxilio esse possit: Idque adeo, ut juste, et legitime concedant, quod frustra

*Nos vitam, et causas vivendi ascribimus arti,  
Aut medicis, famulisque, aut ipsis saepe propinquis;  
Obliti, quod certus, et immutabilis ordo est  
Rerum, quod praescripta homini sunt tempora vitae,  
Qua fas corrigere, fas est producere nulli,  
Seu juvenis moritur, seu magno vir pius aevo.*

12. Enimvero, quam diversa sit eorum sententia, qui acriori judicio

[188]

praediti sunt, quique optimam veritatis frugem falsa et adulterina semente corrumpi non volupe ducunt, tempestivum est in praesentia demonstrare, ut, si forte insana haec documenta, quae nostra credulitas excogitavit, quorundam animis imposuerint, illis ipsis in hac altera quaestionis parte, abunde suppetat, unde possint tot fabulis corticem detrahere, et misere distractam inter<sup>56</sup>

*Democritos, Zenonas, inexplicitosque Platonas,* veritatem hanc de Fato, ad saniorem Peripateticorum sensum reducere. Nam reliquae Philosophorum scholae, dum nimis incaute, cum Poëtis, aut priscis Theologis versatae sunt, multa ab utrisque superstitionum inquinamenta, multas falsitatum sordes contraxere, quas postea dum in faciles aliorum animos instillant, idem profecto faciunt, quod Marcellus, qui velis forum in umbrasse dicitur, ut salubrius litigantes consisterent<sup>57</sup>. Etenim nihil aliud, quam siparium turpibus fatis praetendunt, vitiisque

[189]

licentiam faciunt, qui haec, non voluntati hominum, sed fato, et rerum neccessitati adscribenda fore, tam futilibus argumentis suadent, quam fatum ipsum nullum est, et

<sup>53</sup> Marginalia: Lib. 4. cap. 10.

<sup>54</sup> Marginalia: lib. 2. cap. 10.

<sup>55</sup> Marginalia: Lib. 1. sen. 1. doctr. 3. cap. 3.

<sup>56</sup> Marginalia: Martial. lib. 9.

<sup>57</sup> Marginalia: Plin. lib. 19. cap. 1.

quaecumque de ipso dicuntur, aut vanitatis sunt, aut insaniae proxima. Ut equidem maxima me teneat commiseratio tot hominum, qui loco sapientiae, quam in Philosophorum hortis sectantur, in haec monstra et portenta, licet nullo suo errore; incurront, si quidem ut dicebat Quintilianus<sup>58</sup>, «nulli venenum facilius dari potest, quam qui accipit utique tanquam medicamentum».

13. Unde igitur hoc nomen fati, aut quibus ex oris ad nos tandem appulit? Profecto non aliunde venit, quam ex antiqua daemonum, et idolorum generatione, quam dum Sacerdotes populorum mentibus imprimere novis et incredibilibus miraculis subinde vellent, divinationem seu *μαντικήν* introduxerunt, id est, quemadmodum illam definiebat Chrysippus apud Ciceronem<sup>59</sup>, vim quamdam cognoscentem,

[190]

et videntem, et explicantem signa, quae a dijs hominibus portenduntur, quibusve praenosci possit, qua ipsi erga homines mente sint, quidve significant. Ab hac enim cognitione, et praenotione rerum futurarum, qua deorum sacerdotes dolis suis occultis mortaliuum vota in sui admirationem convertebant, factum est demum, ut Philosophi, (quibus velut a natura insitum est, ut nunquam sollicite current, an res, quemadmodum ab incautis, et plerumque fraudulentis hominibus refertur, ita se habeat, sed tantum quibus de causis ita se habeat, aut quod idem est, ut facile de effectu, nunquam vero de causis convenient,) cum viderent id, quod etiam Seneca<sup>60</sup> paeclare deprehendit, «Fortuita, et sine ratione vaga divinationem non admittere»: quoniam, ut inquit Nemesius<sup>61</sup>, «Contingens infinitum est, infinitum autem incognitum». Propterea in hanc opinionem devenerunt, quod ejus rei solummodo praedictio esse potest, cuius esset ordo sempiternus; ex eoque necessitatem finixerunt,

[191]

sive, casum dicas, aut Adrastiam, et εἰμαρμένην, quae ordinis illius perpetui, et implexae rerum omnium seriei causa esset. Atque hoc modo factum est, ut ijdem sint apud Diogenem Laërtium fatalis necessitatis, qui et divinationum assertores. Nam postquam in vita Zenonis Philosophos illos recensuisset, qui omnia fato fieri arbitrati sunt, subjunxit tandem haec verba: «Sed et divinationem omnem probant, siquidem providentia sit; quin etiam propter quosdam eventus eam artem esse dicunt, quemadmodum Zeno, et Chrysippus duobus de Divinatione libris, Athenodorus, et Posidonius in XI naturalis rationis, et libris de Divinatione tradiderunt». Eademque ratione Sosipatra apud Eunapium<sup>62</sup>, cum vitam ageret ex fatalium dearum placito, et immutabili oraculorum sorte, Eustachium, quem matrimonio sibi jungere volebat, omnesque qui tunc praesentes aderant, hunc in modum allocuta est. «Audi me Eustachi, vosque, qui adestis mihi, testes esse volo, me ternos ex te liberos parituram, qui in

[192]

fortuitis quae habentur inter mortales bonis, omnes infeliciter acturi sunt: at tu paeclaram, teque non indignam sedem ante me occupabis, nec inferiorem fortassis et ego nanciscar; nam tibi ad lunarem globum secessus fato debetur, nec a quinto anno diutius divino cultui operaberis». At e diverso quicumque argutiores philosophi, fatum velut poëtarum fabulis, aut priscorum sacerdotum technis in mundi scenam introductum deriserunt, nihil etiam prius, aut antiquius habuerunt, quam omnem penitus divinationem e medio tollere; quoniam,

<sup>58</sup> Marginalia: In Declamat.

<sup>59</sup> Marginalia: 2. de Divinat.

<sup>60</sup> Marginalia: Libr. 2. nat. c. 32.

<sup>61</sup> Marginalia: Lib. de anima capit. 36.

<sup>62</sup> Marginalia: In Aedelio.

ut sapienter notat Sextus Empiricus<sup>63</sup>, «Εἰ γάρ μή πάντα γίνεται κατά είμαρμένην, οὐκ ἔστι χαλδαϊκή ἡ τοῦτ' ἀξιοῦσα κατά είμαρμένην εἶναι. Si omnia non fiunt fato, non est ars Chaldaïca, quae fato haec censem fieri». Et eodem fundamento<sup>64</sup> innixus Carneades acer ille investigator, et diligens rerum, quae caeteris involutae videbantur, asserebat, ne Apollinem quidem futura posse dicere, nisi ea, quorum causas natura ita contineret, ut ea fieri necesse esset. Quamobrem Cicero, cuius egregia

[193]

in Philosophiam merita, hoc rudi et inculto Guillielmi Parisiensis encomio celebrantur<sup>65</sup>; «Fuit ex Italicis Philosophis, cuius eloquentiam, usque hodie tota latinitas non immerito admiratur et inter Italicos sapientiam ejus reproto et arbitror admirandam»: Cicero, inquam, qui librum de Fato contra Stoicos scripsit, alio item contra eosdem ostendit, nullam esse divinationem. Qua in sententia fuerunt similiter Xenophanes Colophonius, Carneades, Epicurus, Alexander Aphrodisaeus, et uno verbo, quicumque Philosophi, cum Platone et Chrysippo in decretis, ac pene dicam in nugis, et fabulis non conveniunt. Hinc igitur opinioni, quam, ut incautus, et inexpertus quisque est, facilime de fato concipit, et pertinacissime retinet, primam ego originem fuisse arbitror. Cui non minimum favere videtur nomen ipsum fati, cum a fando deducitur, quasi videlicet fatum sit, quicquid vicarij Aruspices, et de circo Astrologi, dementesque vetulæ, fari tanquam ex deorum adyti

[194]

consueverunt. Verum quoniam Guillielmus Parisiensis episcopus paulo aliter explicat, quomodo fatum ex profanorum deorum cultu ad nos usque derivatum est, neque tamen multum a mea opinione dissidet ejus sententia, hanc idcirco referam, verbis ipsismet, quibus illam scriptis consignavit in prima parte librorum de universo<sup>66</sup>. «Nomen autem fati, vel fate, vel fatationis, apud utramque gentem, Christianam scilicet, et Hebraeam, sicut praedixi tibi, horrificum est, et abominabile, nec in alterutra dictarum legum legitur, vel auditur. Et quoniam utraque lege antiquior est mentio culturae deorum, atque dearum, et idolatria; velut reliquia quaedam, et sequela aliqua hujusmodi culturae remansit opinio fatationis; potissimum autem circa anus, seu vetulas, quae vel curiositate faciente, muliebrius levitate, vel quaestuatione, pro qua mentiri non verentur, nondum recesserunt ab eis. Quare si creditur eorum historijs, credulitas utcumque tolerabilis est, eo tempore, quo colebatur multitudo deorum, hoc est, daemoniorum pessimorum

[195]

qui sicut permittebantur custodibus suis dare responsa, et multa alia facere, sic potuerant in multorum nativitatibus colloquentes audiri, et praedicentes, quae opinabantur de eventibus nascentium, et quae ipsimet forsitan nesciebant, et suggesserunt hominibus, collocutiones suas hujusmodi esse fatationes», hoc est, firmas ordinationes eventuum illorum; similiter et fata quasi decreta irrettractabilia haberi.

14. His vero de prima fati origine hunc in modum stabilitatis, consequens est, ut ostendam, praeter laudatos a me paulo supra philosophos, longe adhuc plures in temporum decursu fuisse, qui fatis nihil omnino tribuendum censuerunt, cum existimarent, potius vigilantium insomnia esse, quaecumque de fato a fatuis hominibus dicerentur. Nam ut Saducaeos praetermittam, qui inter Hebraeos<sup>67</sup> paucos quidem asseclas ob Pharisaeorum invidiam, sed

<sup>63</sup> Marginalia: Lib. 6. adversus mathem.

<sup>64</sup> Marginalia: Libr. de Fato.

<sup>65</sup> Marginalia: 1. part. de universo part. 3. cap. 24.

<sup>66</sup> Marginalia: Part. 3. cap. 27.

<sup>67</sup> Marginalia: Ioseph. antiq. Iudaic. libr. 8. Cap. 2.

omnes dignitate conspicuos habebant, quique fatum penitus tollebant, asserentes, bonum vel malum in hominum electione atque voluntate esse positum;

[196]

Anaxagoras Clazomenius, qui penes antiquos, «maxima, ut inquit Tullius<sup>68</sup>, fuit, et gravitatis, et ingenij gloria», unde et ejus nomen, «propter literatam vetustatem, ut loquitur D. Augustinus<sup>69</sup>, literatores libenter sufflant», hic, inquam, communi hominum opinioni de fato quantum potuit reluctatus est: quod licet ab omnibus recentioris aevi Philosophis proferatur, tamen quia nullum antiquorum auctorem laudant, qui Anaxagoram ea in opinione fuisse asserat; et vero, neque Diogenes in vitis, neque Cicero, Galenus, Plutarchus, Origenes, qui placita veterum philosophorum sedulo collegerunt, magis illius mentionem faciunt, quam si nunquam Anaxagoras de fato cogitasset, fateor me suspensum diutissime ea de re fuisse. Sed obtulit se tandem Alexander ex Aphrodisiade<sup>70</sup>, facemque in his tenebris versanti praetulit, quamquam eo scrupulo injecto, quod fide dignus Anaxagoras, dum istud assereret, minime fuerit, non quod propositio ejusmodi vera non esset, verum

[197]

quia in alterius opinionis suae defensionem, quam suscipere cogebatur, non autem ex sola determinataque voluntate adversus fatum scribendi, illam protulisset. Sequutus est Anaxagoram, non minus ratione temporis, quam decretorum quae fatis adversantur similitudine, φιλοπονώτατος καὶ εύρετικώτατος, ut a Laërtio vocatur<sup>71</sup>, Aristoteles. De cuius singulari praestantia si quis parum magnifice sentiat, velim ipsum non mihi, qui satis idoneus testis non sum, sed Averroë fidem habere, viro si quisquam alias in Aristotelis doctrina versato, et maxime digno cui hac in re credatur, dum inter ejus multa elogia hoc unum protulit, quod non injuria aliorum omnium instar esse possit, quae plena manu Benedictus Pererius<sup>72</sup>, Iustus Lipsius<sup>73</sup>, Georgius Trapezuntius<sup>74</sup>, et Theodorus Angelutius<sup>75</sup> non de trivio praecones, partim suo marte, partim ex Cicerone, Plutarcho, Arnobio et ipsomet Averroë collegerunt. «Aristotelis, inquit, doctrina est summa veritas, quoniam ejus intellectus finis fuit

[198]

humani intellectus, quare bene dicitur de illo, quod ipse fuit creatus, et datus nobis divina providentia, ut non ignoremus possibilia sciri»<sup>76</sup>. Hic igitur tantum abest, ut quidquam fato tribendum censuerit, quod ejus nomen semel modo atque iterum, nec quidem eo sensu quo poëtae ac Stoici solent, suis in operibus, quae subjecto varia, numero autem propemodum infinita sunt usurparit. Nam cum haec verba, in quinto Physicae auditionis libro protulit<sup>77</sup>, «sunt igitur generations violentae, et non fatales, quibus naturales adversantur, atque etiam accretiones, et imminutiones violentae, ut eorum accretiones, qui ob delicias celeriter pubescunt»<sup>78</sup>; certum est ex Alexandro Aphrodisiensi, Themistio, Simplicio, Bessarione, Zimara, et communi interpretum consensione<sup>79</sup>, Aristotelem «per fatales generationes» eas

<sup>68</sup> Marginalia: 1. de natur. deor.

<sup>69</sup> Marginalia: Epist. 56.

<sup>70</sup> Marginalia: Lib. 1 de fato cap. 1. et lib. de anima cap. ult.

<sup>71</sup> Marginalia: In ejus vita.

<sup>72</sup> Marginalia: Libr. 5. de princip.

<sup>73</sup> Marginalia: cap. 1. manuduc. libro 3. dissertat. 5.

<sup>74</sup> Marginalia: De compar. Plat. et Aristot.

<sup>75</sup> Marginalia: contra Patrit.

<sup>76</sup> Marginalia: Destruct. destruct. disput. 3. in solut. dubij 3.

<sup>77</sup> Marginalia: Cap. 6. text. 57. Cap. ult. lib. de an.

<sup>78</sup> Marginalia: In 5. Phys. text. 57.

<sup>79</sup> Marginalia: In 5. phys. comm. 44. cap. 4. lib. 2. Apoll. In tabul.

intelligi voluisse, quae diversae a naturalibus non essent, quoniam in ipsis ordo a natura constitutus servaretur, sicut in hominis generatione, quae nono mense perficitur, et in fructuum sub autumni tempus

[199]

maturescentium productione, fieri amat, non autem in ranis, et serpentibus, cum ex medicata aliqua materia intra breve tempus excitantur, aut in floribus, qui aqua irrigati in eum finem ferrefacta, confestim pullulant, quasi res ageretur in Adonis pomarijs; de quibus Plato in Phaedro, et Plutarchus, ubi tractat de sera numinis vindicta multas ejusmodi παραθέσης scriptis suis consignarunt. Tales enim generationes, quemadmodum D. Thomas explicat, dici potius debent violentae, et non fatales, quia vi naturae illata, non autem ex consueto illius ordine, debitaque rerum et causarum serie, procedunt. Neque alio modo explicandus est locus alter primi Meteororum, qui de causis est, quamobrem terra in maria, et haec vice versa temporum decursu in terras commutentur. Nam licet in eo Aristoteles hac forma loquendi usus sit, «διά χρόνον εἰμαρμένων» cuius occasione Petrus Alcyonius, Franciscus Vicomercatus, et Iacobus Carpentarius integrum istius loci sententiam,

[200]

ita sibi reddendam putarunt, «Sed horum omnium causam censere debemus, quod per tempora, fato constituta, ut hyems anniversarijs temporibus, ita magno quodam temporum circuitu hyems magna fiat, immensaque aquarum pluvia»: Alexander tamen Aphrodisaeus in commentario vocem hanc paulo laxiori significatione primus usurpavit, «Τό διά τινῶν χρόνων εἰμαρμένων τε καὶ ώρισμένων», id est, «per aliquot tempora fatalia, sive determinata»: eumque postea secutus Metochites dixit: «quibusdam fato decretis, seu definitis temporibus»: et amborum exemplo audaciores facti Vatablus, et Perionius, hic quidem, «statis temporibus», ille vero, «elapsis certis temporum spatijs», potius quam fatalibus, mentem Aristotelis interpretari maluerunt. Quod tametsi non fecissent cum antiqui illi, tum recentes philosophi, non propterea tamen minus verum fuisse ab Aristotele usurpatum, praesertim cum idem Alexander in libris de anima<sup>80</sup>, et

[201]

Bessarion in Apologia contra calumniatorem Platonis<sup>81</sup>, qui certa alias a Georgio Trapezuntio non est, ac Iacobus Carpentarius in institutione ad doctrinam Platonis, Rodolphus Goclenius in Lexico<sup>82</sup>, aliique, quorum nomina sine taedio referri non possunt, ejusdemmet Aristotelis locum ex primo meteororum proferant, asserenda huic propositioni, de qua Peripatetici omnes tanquam de re certa explorataque conveniunt, nempe fatum apud Aristotelem non differre a natura, illudque omne fatis adscribi, quod naturale est, et rerum naturalium ordinem institutionemque sequitur. Eo enim sensu dicebat Theophrastus: «τήν εἰμαρμένην εἶναι τήν ἐκαστού φύσιν, fatum esse uniuscujusque naturam», ut videlicet quod homo hominem gignat, quod moriatur internis et sine ulla vi causis, cum aliqui praeter fatum sit, si Ajax Oileus «salsam bibat aequoris undam», gladiove pereat, aut, quod inquit etiam alias poëta:

*Si mulier catulum, vel si bos ederet agnum.*

[202]

<sup>80</sup> Marginalia: Lib. 2. de Anim. cap. ult.

<sup>81</sup> Marginalia: lib. 2. cap. 9.

<sup>82</sup> Marginalia: Part. 2. digress 11.

15. Quod equidem cum ita sit, videtur mihi fatum Peripateticum, aut, si mavis Physicum illud appellare, ita ex Iusti Lipsij<sup>83</sup>, et Pendasij<sup>84</sup> sententia definiri posse, ut sit «ordo causarum naturalium, quae nisi impedianter, vi, et natura sua, certum, eundemque producunt effectum». Neque operae pretium esse existimo, multum, anxieque ad ejus definitionis explicationem inquirere cum Simone Portio<sup>85</sup>, in quibus sit fatum; et num in aeternis, num in caelestibus, num in mathematicis, aut tantum in rebus generationi et corruptioni subjectis, et quae possint in diversa ferri, reperiatur; quandoquidem mihi non physicam hic, sed Iatrophilologicam quaestionem animo meditanti, longe potior est atque commodior Federic. Pendasij nobilis Peripatetici sententia<sup>86</sup>, afferentis, quod «si qua ratione fatum ad Physicam pertinet, eatenus ipsius erit, quatenus causam aliquam naturalem determinate, ac eodem semper modo, velut plurimum operantem repraesentat». Praesertim cum Theophrastus<sup>87</sup>, Alexander<sup>88</sup>,

[203]

Themistius<sup>89</sup>, Simplicius<sup>90</sup>, Conimbricenses<sup>91</sup>, et quotquot alij interpretes Graeci, Latinique fuerunt, ac praeter hos Bessario<sup>92</sup>, Pomponatius<sup>93</sup>, Simon Portius<sup>94</sup>, Ioannes Bassadona<sup>95</sup>, Hieronymus Baldinus<sup>96</sup>, Calcagninus<sup>97</sup>, Gianinus<sup>98</sup>, Syrennius<sup>99</sup>, atque ut compendium sermonis faciam, omnes qui in Aristotelis doctrina non perfunctorie versati sunt, communiter doceant, nunquam fati nomen pro re, quae non eadem cum natura foret, ab ipso usurpatum fuisse.

16. Quod sane cum Pendasius tam notum haberet, quam quod notissimum esse potest, causam inde summa a nonnullis voluntate quae sit depromere, ac velut eruere de tenebris conatus est, ob quam Aristoteles, quod de casu et fortuna in secundo naturalis philosophiae locutus est, non item de fato sibi dicendum esse putavit. De quo tamen vel eo nomine quaedam in medium afferre debebat, quod sive illud in rerum natura existat, sive prorsus nomen vanum sit, et inane<sup>100</sup>,

*De quo quisque suo somniat arbitrio,*

[204]

multa quotidie succedant, quae licet in aliam causam verius referri possint, et debeant, communi tamen hominum consensu fato accepta feruntur: ut Lipsius propterea dicere non veritus sit, quamquam satis petulanter, et acerbe<sup>101</sup>, «cor Philosophi qui fortunam casumque serio numerare inter causas audet, non audet fatum». Respondet ergo Pendasius, post

<sup>83</sup> Marginalia: 1. de constant. cap. 18.

<sup>84</sup> Marginalia: Libr. 2. Physicor. part. 25.

<sup>85</sup> Marginalia: Cap. 18. libr. de principijs.

<sup>86</sup> Marginalia: Loco laudat.

<sup>87</sup> Marginalia: Apud Alex. 2. de an.

<sup>88</sup> Marginalia: Lib de fato.

<sup>89</sup> Marginalia: In 5. Physicor.

<sup>90</sup> Marginalia: 5. Physic. com. 44.

<sup>91</sup> Marginalia: 5. Physic.

<sup>92</sup> Marginalia: Lib. 2. Apol. ca. 9.

<sup>93</sup> Marginalia: Lib. de fato.

<sup>94</sup> Marginalia: Loco laudat.

<sup>95</sup> Marginalia: Dialog. 4.

<sup>96</sup> Marginalia: Lib. de fato.

<sup>97</sup> Marginalia: Lib. de liber. arbit.

<sup>98</sup> Marginalia: De coeli natura part. 2. cap. 44.

<sup>99</sup> Marginalia: Libr. 3. de fato. cap. 41.

<sup>100</sup> Marginalia: Alciat. in Emblem.

<sup>101</sup> Marginalia: 1. de const. cap 18.

Alexandrum<sup>102</sup>, et Iulium Syrenium<sup>103</sup>, Aristotelem recte sapienterque hoc loci mentionem de fato nullam fecisse, quoniam, si rerum causas in illud, quatenus solo nomine a natura distinguitur, retulisset, rem, quae non semel ipsi dicta jam explicataque fuerat, mutata tantum appellatione in scenam, quasi non alium, sed aliter tantummodo personatum histrionem, iterum produxisset: Si vero Divinae Providentiae, aut aeternae rerum seriei, ac veluti catenae causarum omnium, vel tandem animae mundi, dearumque humanae vitae fila volventium, quae omnia fati nomine saepius intelliguntur, rationem habuisse, tunc sane [205]

divagatus non mediocriter fuissest extra materiae, quam prae manibus habebat, orbitam, et vel in Theologorum penetralia, vel in Stoicorum, Platonicorumque subsellia, aut poëtarum sylvas, amoenaque fabularum vireta, tanquam semipaganus aliquis, irrupisset: quod Aristotele quam sit indignum, summo illo, et accuratissimo in omnibus philosophorum principe, judicandum unicuique relinquo.

17. His igitur de causis non possum ego vehementer non obstupescere, et mirari, quasi in aliud terrarum orbem delatus essem, quoties Ciceronem video, id nominis et doctrinae hominem, tam aperte in Aristotelem peccasse, ne dicam in se ipsum, ut hunc quoque inter Philosophos enumeret, qui censebant fato omnia fieri, diramque necessitatem summis hominum verticibus trabales clavos defigere, quos evellere nemo, ac ne quidem evitare posset. Sic enim ille<sup>104</sup>: «ac mihi quidem videtur, cum duae sententiae fuissent veterum philosophorum; una eorum, qui censerent omnia ita

[206]  
fato fieri, ut id fatum vim necessitatus afferret, in qua sententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles fuit; altera eorum, quibus viderentur sine ullo fato esse animorum motus voluntarij; Chrysippus, tanquam arbiter honorarius, medium se ferre voluisse». Praeterquam enim minime videtur haec opinio convenire cum his, quae ab ipsomet Aristotele dicuntur in Ethicis<sup>105</sup>, de deliberatione, et electione in omnibus quae ad vitam et mores pertinent, deque libera ratione virtutum omnium comparandarum, tum etiam eidem in doctrina de futuris contingentibus<sup>106</sup> omnino adversatur, praecipienti, scilicet, pro absurdo haberi debere, si quis dicat, earum enunciationum, quae de rebus singulis in futuris contingentibus contradicunt, unam partem veram esse, alteram falsam, quia hoc modo tollitur rerum contingentia, et futura omnia ex necessitate futura erunt, omnisque e vita exulet deliberatio et actiones necesse est. Accedunt denique his rationibus, contrariae celeberrimorum Aristotelis

[207]  
interpretum discrepantesque ab hac Ciceroniana sententiae, quibus tam lubens accedit Caelius Calcagninus<sup>107</sup>, vir alioqui doctrina subactus, et judicio, ut aperte dixerit, calumniam fuisse Aristoteli hac in re inustam, «et tot propositiones contingentes, tot possibles, tot pracepta ab eo prodita ad publicarum privatarumque rerum administrationem pertinentia, tot in universum ad mores spectantia, facile fidem facere, Aristotelem libertati magis animorum, quam servituti consensisse». En igitur, dicet aliquis paulo factus doctrina sua inflatior, maximi viri μνημονικόν ἀμάρτημα, et ἀκρισία, et incogitantia, quae Peripateticis juxta, hominibusque accuratis, et nihil temere proferentibus, ludibrium debeat. Verum ut

<sup>102</sup> Marginalia: Libr. de fato.

<sup>103</sup> Marginalia: Lib. de fato 3. c. 41.

<sup>104</sup> Marginalia: Lib. de fato.

<sup>105</sup> Marginalia: Lib. 1. cap. 2. lib. 2. cap. 5.

<sup>106</sup> Marginalia: Lib. de interpr.

<sup>107</sup> Marginalia: Libr. de libero arb.

volet quisquis de Cicerone statuat, mihi profecto tam certum est, praecclare semper de tanti viri incredibilibus in rempublicam literariam meritis cogitare, ut in animum quoque lubenter inducam, si quid ille minus rationi consentaneum dixerit, totum hoc rationi potius, quae nos lateat,

[208]

quam errori alicui fore concedendum.

18. Et sane videor mihi in praesentia valde convenientem modum invenisse propositionis illius, quae tot fluctus, motusque animorum in Peripato commovit, ad saniorem sensum perducendae: siquidem probabile est, librum de mundo ad Alexandrum, qui jam tum praefixo Aristotelis nomine, quasi verus esset γνήσιος que maximi illius viri foetus, hominum mentes in varios errores deducebat, Ciceroni quoque imposuisse: adeo enim diligenter fatorum ordinem, et parcarum nomina atque officia, eo in libro complexus est, quisquis tandem auctor ejus extitit, ut Theodoretus Syrensis<sup>108</sup>, et Origines Adamantius<sup>109</sup>, hac, ut opinor, occasione ducti, quod Aristotelem titulo mentiretur, multa in hunc Philosophum dixerint eorum penitus similia, quae paulo ante in Marco Tullio damnata a nonnullis fuisse diximus. Quamobrem excutiendum est diligenter, num Aristoteles hujus tractationis de mundo ad Alexandrum auctor

[209]

esse potuerit. Quod licet iam confectum videri possit a doctissimo et eloquentissimo viro Daniele Heinsio in Dissertatione de auctore libelli De mundo, quem hercle instructissimam rationum momentis, et accuratissimam cum orationibus suis edidit, ut probaret, nullo modo foetum hunc Aristoteli fore adscribendum: conabor tamen analecta quaedam velut ex opiparo tanti viri convivio colligere, et, siquid ab ipso, casu, aut judicio, quod in meliorum delectu adhibere voluit, praetermissum est, illud bellariorum loco tibi, Beverovici, offerre non verebor. Ac in primis, ut ab auctoribus incipiam, quorum de hac re sententiae utramque in partem variae sunt, fateor quidem, eorum, qui foetum hunc Aristoteli vindicant, tam locupletem censem institui posse, ut prima facie, et leviter tantum in rem ipsam intuenti, videri possint contrarium afferentibus nullo negotio superiores, cum hos

*Defendat numerus juncta equi umbone phalanges.*

[210]

Horum vero tanquam dux, et antesignanus proferri solet Iustinus, nobis aeque Martyr, ac Philosophus, et Alexandri Aphrodisiensis aequalis, cuius verba in admonitione ad Graecos haec leguntur. «Aristoteles autem in eo, quem ad Alexandrum magnum scripsit libro, brevem quandam Philosophiae suae delineationem proponit». Qua in opinione fuit etiam Iustini σύγχρονος Apuleius Madaurensis, qui tractatum cosmographiae sive de Mundo, ad Faustinum filium, non marte suo et proprijs cogitationibus elaboratum scripsit, sed exculpshit potius ab alijs ejusdem argumenti libris; quos ipsemet Aristotelem et Theophrastum composuisse, hunc in modum testatus est, «quare nos Aristotelem, prudentissimum et doctissimum Philosophum, et Theophrastum auctorem secuti, quantum possumus cogitatione contingere dicemus, de omni hac caelesti ratione naturas et officia complexi». Nec multum ab utroque dissidet Themistius, qui Iustini et Apuleij temporibus posterior integro ferme saeculo fuisse deprehenditur,

[211]

<sup>108</sup> Marginalia: Libr. de curat. Graecar. affect.

<sup>109</sup> Marginalia: Libro contra Celsum.

cum Suidas vixisse eum sub imperio Ioviniani, et aequalem fuisse Basili magni, ac Gregorij Nazianzeni, demonstret Ecclesiastica historia Socratis<sup>110</sup>, idemque confirmet Nicephorus Callistus<sup>111</sup>. Verum quo in opere Themistius librum hunc de mundo, sub Aristotelis nomine laudavit, penes me tam incertum est, quam ubi serpentes senectam, aut cervi sua spolia deponant. Etenim cum perfecta diligenter ejus paraphrastica multorum librorum Aristotelis explicatione, quam ex Graeco sermone in Latinum convertit Hermolaus Barbarus, simile quicquam nihil invenirem; dubitavi non semel; an haec ipsa Themistij declaratio in alia ejusdem paraphrasi librorum de coelo et mundo haberetur, quam Moses Matrimus Medicus Spoletanus, inclinante jam superiori saeculo, ex Hebraea Latinam fecit. Sed cum Franciscus Picus<sup>112</sup> eam videre non potuerit, longe consultius existimo, stare hac in re ipsius Francisci Pici Mirandulani, et Ludovici Vivis<sup>113</sup>, ac Gesneri decretis<sup>114</sup>,

[212]

qui Themistio probatum hunc de mundo librum fuisse asserunt, quam de eorundem fide dubitare, aut tempus ea in re investiganda texere<sup>115</sup>, quam, si tam diligentibus, quam eruditibus fuissent, nobis particularibus quibusdam notis ejus loci, in quo reperitur, significare debuerunt. Themistium secutus est Ioannes Stobaeus, qui ante Nicolai primi summi Pontificis, et Photij Patriarchae Constantinopolitani tempora, Eclogas suas<sup>116</sup> cum ex aliorum antiquorum libris, tum etiam ex Epistola Aristotelis ad Alexandrum περὶ τοῦ παντός contexuit, ac inter gnomas, quae ab illa descriptae sunt, eam etiam retulit, quae nugas illas de fato continet, tam adversas Aristotelis doctrinae, ut si nihil aliud foret, satis profecto hae in causa esse possent, propter quam indignus liber ille tanto viro haberetur. Eoque magis admiror, quomodo hac etiam aetate plures reperti sunt, qui fucum hunc, et fallaciam non deprehenderint. Quo in numero fuerunt Bessarion Cardinalis Nicenus in apologia adversus calumniatorem

[213]

Platonis<sup>117</sup>: Arsenius Novembiae Episcopus, in collectione Graecorum Apophthegmatum, quae Leoni decimo dicata est<sup>118</sup>: Ioannes, et Franciscus Mirandulani Principes, ille quidem in opere contra Astrologos, hic vero in libris de providentia<sup>119</sup>: Ioannes Fernelius in elegantissima disquisitione de abditis rerum causis<sup>120</sup>: Iacobus Carpentarius in commentarijs ad institutionem Alcinoti<sup>121</sup>: Augustinus Eugubinus in opere valde pio et Christiano de perenni philosophia<sup>122</sup>: Franciscus Patricius, acer quidem ille discussionum Peripateticarum auctor<sup>123</sup>, in quibus, et, si recte memini, in praefatione etiam ad elementa Theologica Procli, nec non in disceptationibus sub Francisci Muti nomine contra Theodori Angelutii calumnias editis<sup>124</sup>, librum de mundo Aristoteli tribuendum esse, velis et remis probare contendit.

<sup>110</sup> Marginalia: Lib. 4. c. 27.

<sup>111</sup> Marginalia: Lib. 18. c. 50.

<sup>112</sup> Marginalia: 1. part. Lib. de provid. cap. 6

<sup>113</sup> Marginalia: In censur. operum Aristotel.

<sup>114</sup> Marginalia: In Biblioth. magna.

<sup>115</sup> Si propone di leggere *tempus terere* e non *tempus texere*.

<sup>116</sup> Marginalia: lib. I. cap. 11.

<sup>117</sup> Marginalia: Cap. 10. lib. 3.

<sup>118</sup> Marginalia: In. princ. operi.

<sup>119</sup> Marginalia: 1. part. cap. 6.

<sup>120</sup> Marginalia: Lib. 1. cap. 10.

<sup>121</sup> Si propone di leggere *Alcinoi* e non *Alcinoti*. Marginalia: Part. 1. disput. 3.

<sup>122</sup> Marginalia: de Deo. lib. 4.

<sup>123</sup> Marginalia: Tomo 1. lib. 1.

<sup>124</sup> Marginalia: Lib. 1. discept. 6.

Denique fautores ejusdem sententiae nominare possem Bonaventuram Vulcanium et Ioannem Langium<sup>125</sup>, quorum uterque epistolam hanc Aristotelis ad Alexandrum

[214]

varijs notis et commentationibus explicandam suscepit: ac Thomam Bravvardinum<sup>126</sup>: Vvolfangum Meurerum<sup>127</sup>, Theodorum Angelutium<sup>128</sup>, Robertum Balfureum<sup>129</sup>, Iustum Lipsium<sup>130</sup>, et quem omnium instar esse existimo, virum auctoritate doctrinaque, incomparabilem, vereque nostri saeculi Philosophorum Principem, Fortunium Licetum<sup>131</sup>. Cujus rationes, si quandoque illas in lucem proferre voluerit, tanti fore confido, ut facile me, quod superiores illae non possent, a contraria sententia dimoveant quam interea dum urgere in praesentia et munire modis omnibus contendo, facile mihi condonabit vir eximius, si, cum ab observantia, et veteri necessitudine, quam illi multis magnisque nominibus debeo, nunquam sum discessurus, agam tamen cum ipso pro libertate philosophica, cuius una haec inter caeteras maximopere laudabilis regula est ut:

*Diversum sentire duos de rebus ijsdem,*

*Incolumn liceat semper amicitia.*

Verum antequam ad illos auctores veniam

[215]

quibus, nihil unquam huic libro commune et Aristoteli fuisse, persuasum est, videtur mihi non inconveniens fore, si, quanti faciendi sint contrariae partis fautores, quicumque laudati supra a me fuerunt, breviter ostendam sic enim fiet, ut tota disputatio longe planior, explicatiorque procedat; et nullus mihi deinceps, nisi in adversis testibus proferendis labor subeundus erit. Quamobrem ut de ipsis primum quidem in genere dicam, videntur mihi eorum tantummodo non despicienda rationes, qui in hoc praesertim incumbendum sibi duxerunt, ut, adhibita quadam censura et quaesitis hinc et inde rationibus, librum hunc, de cuius auctore, varias esse dissidentesque philosophorum sententias, minime nesciebant, Aristoteli tribuendum esse, probarent. Cujusmodi fuerunt Carpentarius, et illo multum pugnacior Patricius, reliquos enim, qui vel ignari fuerunt ejusmodi controversiae, vel ad alia festinantes, ut Angelutius nihil illam ad se pertinere judicarunt

[216]

vix tanti fore existimo, ut nobis multum laborandum sit, cuius tandem in hac quaestione opinionis fuerint; quandoquidem, ut inquit Aristoteles<sup>132</sup>, «qui ad pauca respiciunt, de facili enunciant». At enim, ut omnes hic sigillatim appellem, Stobaeus, et Arsenius, cum ex quibusvis auctoribus gnomas suas colligerent, parum solliciti fuerunt tam in librorum delectu, quam eorum dijudicatione et censura, quorum nominibus libri illi circumferebantur. Iustinus vero Eugubinus, Mirandulani principes, et Cardinalis Nicenus, cum Religionis causam agi viderent; non secus ac Fernelius, Balfureus, et Iustus Lipsius Stoicae philosophiae, si liber hic compositus ab Aristotele diceretur, putaverunt, communi sententiae, quae id ipsum afferebat, nullatenus esse reluctantum; nisi forsan de Lipsio dubitationem apud nonnullos faciant verba haec, quae varijs in locis, librum de mundo sub

<sup>125</sup> Marginalia: Interpr. in commentar.

<sup>126</sup> Marginalia: Lib. 1. de causa Dei cap. 29.

<sup>127</sup> Marginalia: In meteori.

<sup>128</sup> Marginalia: Exercit. advers. Patricium. Sect. 3. 5. et 4. 1..

<sup>129</sup> Marginalia: In comment. ad Cleom.

<sup>130</sup> Marginalia: de const. cap. 13.18.

<sup>131</sup> Marginalia: In espist. de fato et libero arbitrio.

<sup>132</sup> Marginalia: 1. de generat. et corrupt.

Aristotelis nomine laudaturus, velut sepia atramentum, praemittit, quo minus obvium sit qualem

[217]

se in hac difficultate gerat, et quas partes sequatur, pronunciare. «Talis in divinis ubique fere Aristoteles est. Libellum illum de mundo excipio, qui totus aureus ab aliena mihi videtur et magis caelesti aura»; et alibi, «egregie vel divine potius is, qui non multa de divinis, Aristoteles»<sup>133</sup>. Nec Lipsio multum diversus est Meurerus, cum librum de mundo ter aut quater absque ullo auctoris nomine compellat, quasi timore ductus, ne si continuo illum sub Aristotelis nomine laudaret, in manifesto tandem errore deprehenderetur. Bravardini, hominis alioqui de *Philosophia et Theologia* benemeriti, judicium de hoc libro ad Alexandrum, quanti faciendum sit, declarat manifeste quorundam aliorum librorum apocryphorum, aut penitus *voθενομένων* citatio, qualia sunt Aristotelis *Secreta secretorum*, Vacca Platonis, Ovidij libellus de *Vetula*, Hermetis Poemander, et aliae id genus quisquiliae: quamquam vitium hoc magnis alijs Bravardini virtutibus, ipsisque adeo temporibus, ut erant illa minime

[218]

omnium Critica, condonandum sit; maxime cum librorum ejusmodi fidem, ipse etiam non semel in dubium revocet. Quod autem ad Apuleium spectat, videtur mihi Heinsius in ejus explicanda sententia, paulo, quam in reliquis soleat, fuisse obscurior, et impeditior; propterea que cum librum Apuleij de mundo sive cosmographia in manus sumpsisset, animadvertis ex ejus diligentí lectione, multis hercle, gravibusque de causis, nihil ex eo posse deduci, quod opinioni meae labefactandae plurimum conducat. Nam tantum abest ut Apuleius, cum librum hunc a Graeco convertere vellet, sibi unquam inquirendum duxerit Aristotelis esse, an alterius; quod potius occasionem praebet, ex verbis illis, quibus statim initio se Aristotelem et Theophrastum sequi profitetur utrius tandem ille censendus sit, dubitandi. Imo vero si quis paulo ultra limen progrediatur, inveniet, Apuleium ex pluribus alijs auctoribus libellum hunc concinnasse. Nam quid aliud sibi volunt

[219]

haec verba, «nec sum nescius plerosque hujus operis auctores, terrarum orbem ita divisisse?» quid etiam «Homerus, Virgilius, Aristoteles ipsem, et Cato in originibus laudati?» quid denique «Vesuvius noster», et experimenta illa, quae de suo profert, «vidi ipse apus Hierapolin Phrygiae: vidi ipse in clypeo Minervae»; multaque alia ejus generis, significant, quam Apuleium diversos auctores evolvisse, ex quorum Symbolis libellum hunc conficeret, illumque nihil aliud hic egisse, nisi quod se de industria facere solitum esse alibi testatur, nimirum in Graecis auctoribus latine convertendis, «in omnibus, aut omissa anquirere, aut defecta supplere». Ex quibus adeo clarum esse autumo, librum hunc, quem Apuleius ad filium suum, non autem ad amicum, ut vir magnus arbitratus est, scripsit, tam ad alium quemvis, quam ad Aristotelem referri posse, ut nulla ulterius probatione indigeat. Nam si quid aliud concludit, totum hoc demum ex vulgari opinione pendet quae de hujus libri auctore, etiam Apuleij

[220]

saeculo ferebatur: sed cum hoc praesenti falsitatis convincatur, certe ne in illo quidem vera ullo modo esse potuit. Denique Bonaventura Vulcanius et Ioannes Langius, qui maxime omnium patrocinari huic causae debebant, tam frigide hoc officio defuncti sunt, ut hic Iustinum tantummodo et Bessarionem pro Achille suo proferat, tam supinus alioqui in censura veri, ut fabulis omnibus bibulas aures accommodet, vel ipsis quidem, quae, de

<sup>133</sup> Marginalia: Lib. 1. de constant. cap. 18. cap. 13.

purgatorio Sancti Patricij, vetulis tantum, senibusque deliris familiares sunt: ille vero tam futili ratione sententiam suam firmet, ut minus lectori, in illa evertenda, quam in risu comprimendo laborandum sit<sup>134</sup>; «cum enim, inquit, tanta sit hujus libri excellentia, ut non nisi a naturae Genio scriptus censeri possit, consequens omnino fuerit, ut, si Aristotelem ejus auctorem esse negent, alium prae Aristotele natura genium statuant, utque eum a paeclari illius elogij, quod docta antiquitas ipsi summo jure tribuit, possessione, per vim, atque injuriam deturbent». Restat igitur Patricius et

[221]

Carpentarius, quorum rationes etsi majorum verborum apparatu proferantur, non propterea tamen magis verae censendae sunt. Nam postremus hic eadem licentia asserere librum hunc Aristoteli potuit, in eo praesertim opere, quo Platonis cum Aristotele in universa philosophia comparationem meditabatur, qua postmodum cujusdam Arabis naturalem Theologiam, desumptam quidem, ut titulus ipsem indicat, ex Aegyptiorum arcanis, eidem Aristoteli, licet reclamantibus caeteris, tribuendam censuit. Quemadmodum etiam fecit Patricius, qui dum Aristotelis scripta discutere, atque examinare non sine quadam aemulatione conatus est, ita non semel in manifestos errores incurrit, effecitque, ut eadem mensura, qua vulgus apud Horatium<sup>135</sup>, metiri aestimarie ab omnibus bonis et eruditis debeat:

*Interdum vulgus rectum videt, est ubi peccat.*

Etenim cum in multis alijs, tum vero potissimum in eo graviter peccare censendus est, quod contra omnium

[222]

Interpretum Aristotelis mentem, librum hunc de mundo inter Acroamaticos referat; eumque esse contendat, quem Alexander editum ab eo fuisse querebatur<sup>136</sup>: cum hic potiori jure, quam quivis alias, exotericis annumerandus sit: ut nullo negotio mille rationibus et testimonijs probare possim, nisi rem jam tum dilucide probatam ab Octaviano Ferrario in libro de sermonibus exotericis, Mazzonio in paedia Aristotelis et Platonis, Perrero<sup>137</sup>, Carbone<sup>138</sup>, Angelutio<sup>139</sup>, et similibus alijs, rursum in controversiam vocare, nihil opus esset. Illud tantum dico, cum fundamentum hoc nullo satis firmo tibicine fulciri possit, reliquum esse, ut una simul pessum eant, quaecumque Patricius super ipso fabricare conatus est, pro ea opinione, quam habebat de auctore περὶ τοῦ κόσμου ad Alexandrum, stabienda. Verum quam diversa sit ab hac Patricij multorum sententia, quorum de hac re judicium eo majori fide dignum est, quod praeter doctrinam, qua nemini forte concedunt,

[223]

peculiarem quoque diligentiam et ἀκρίβειαν in eo ferendo adhibuisse visi sunt, vel sola eorum recensione, suasque in classes ac veluti genera distributione, liquido constare potest. Neque enim omnes uno, eodemque modo in eruditorum senatu, quid sibi de ejusmodi quaestione videretur, pronunciarunt. Sed quosdam invenio ex veteri formula dixisse; «non liquet»; remque magnis hinc et inde contentionum fluctibus agitatam, nullo veritatis praejudicio, aut partium injuria, in dubio, quemadmodum illam invenerant, reliquisse. Quo in censu primas facile tenent Gesnerus in Bibliotheca<sup>140</sup>: Iulius Syrenius in eruditissimo

<sup>134</sup> Marginalia: In praefat. notarum.

<sup>135</sup> Marginalia: Epist. 1. lib. 2.

<sup>136</sup> Marginalia: Agellius lib. 2. cap. 4.

<sup>137</sup> Marginalia: Libr. de principijs cap. 9.

<sup>138</sup> Marginalia: Lib. 3 introduct. cap. 9.

<sup>139</sup> Marginalia: Contra Patric.

<sup>140</sup> Marginalia: In Arist. c. 10 lib. 1.

tractatu de fato<sup>141</sup>: Ludovicus Carbo, auctor introductionis in Philosophiam, quae omnium manibus teritur<sup>142</sup>: Conimbricensis Academiae Patres in proemio ad octo libros de naturali audizione: Iacobus Zabarella in libro de naturalis scientiae constitutione<sup>143</sup>: Caelius Rhodiginus in lectionibus antiquis<sup>144</sup>: Casaubonus in animadversionibus ad Athenaeum<sup>145</sup>: Ioan-

[224]

nes Bodinus in naturae Theatro<sup>146</sup>: Tarquinius Gallutius in vindicationibus<sup>147</sup>: Vinetus in Sacrobosci explicatione: et Petrus Alcyonius in praefatione ad Federicum Gonzagam Principem Mantuanum, quam huic libello Latine a se redditio praefixit: licet in ea tam caute se gerat, ut, postquam tria notavit, in quibus libelli hujus auctor minime consentanea dicit Aristotelis doctrinae; scilicet, dum terrae dimensum aliter proponit, quam in Peripato soleat; et originem mundi Deo tribuit; flatumque e terra certis temporibus erumpentem asserit mentem ita commovere, ut eam providam rerum futurarum efficiat, quem tamen effectum Aristoteles in Problematis citius ab atra bile provenire arbitratus est; nihilominus postea difficultates ejusmodi amoliri tentet; atque ne suppositicum hunc foetum, quem una cum legitimis alijs elegantissime de Graeco Latinum fecerat, agnoscere cogeretur, vertit se in omnes partes, tandemque his verbis concludit: «Sed morositatem ejus generis

[225]

quaestionum Grammaticis relinquamus». Isti porro majori cum libertate pronunciant de eo libello Possevinus in Bibliotheca selecta: Hieronymus Gemusaeus in vita Aristotelis et ejus operum censura: Felix Accorombonus in explicatione obscuriorum locorum et sententiarum Aristotelis<sup>148</sup>: Antonius Bovis in Dialogo de terrae motu: demunque Ludovicus Vives<sup>149</sup>, qui erat vir aetate judicioque maturus, ne loqui sine lege aut teste videretur, aliquos primum laudat hujus libri, tanquam si Aristotelis esset, fautores praecipuos, tandemque rationes addit sane non poenitendas, quibus adduci minime poterat, ut idem cum illis sentiret. Iam vero si eorum rationem habere velimus, qui absque ulla haesitatione contendunt, indignum esse Aristotelis gravitate hunc librum, prorsusque supposititum inter legitimos irrepsisse, res esset non magni tantummodo, sed etiam infiniti laboris: siquidem, ut inquit Gesnerus<sup>150</sup>, «liber de mundo ad Alexandrum, a plerisque nostri saeculi doctioribus viris, non

[226]

existimatur Aristotelis esse»; imo quemadmodum inquit Patricius<sup>151</sup>, «ab omnibus, tamquam nothus rejecitur, praeterquam ab uno Iustino». Unde quo promptius in re manifesta me expediam, Thomae Gianini<sup>152</sup>, Simonis Portij<sup>153</sup>, Petri Victorij<sup>154</sup>, Thomae Aldobrandini<sup>155</sup>, M. Antonij Mureti<sup>156</sup>, atque unius Danielis Heinsij<sup>157</sup>, tanquam probatissimorum judicum

<sup>141</sup> Marginalia: Lib. 3. cap. 8.

<sup>142</sup> Marginalia: Artic. de distribut. philoso.

<sup>143</sup> Marginalia: Cap. 15.

<sup>144</sup> Marginalia: Cap. 16. lib. 8.

<sup>145</sup> Marginalia: Libr. 4. cap. 2.

<sup>146</sup> Marginalia: Lib. 2. et 3.

<sup>147</sup> Marginalia: Lib. 8 Aeneidos, loco 1.

<sup>148</sup> Marginalia: Annotat. in eum libr. Numero 29. et 37.

<sup>149</sup> Marginalia: In censura operum Aristotel.

<sup>150</sup> Marginalia: In Bibliothec. magna.

<sup>151</sup> Marginalia: Tom. I. lib. 3. discussion.

<sup>152</sup> Marginalia: Part. 2. de caelo cap. 44..

<sup>153</sup> Marginalia: Lib de princip. cap. 18.

<sup>154</sup> Marginalia: In varijs lectionibus.

<sup>155</sup> Marginalia: In not. ad 7. liber. Laert. numero 337. et. 390.

<sup>156</sup> Marginalia: Lib. 2 Varior cap. 8.

decretis, mihi standum esse constitui: praesertim cum hic tam exquisite se in ejusmodi falsitate detegenda gesserit, ut qui non eadem cum ipso dicere velit, nec iterum repetere quae Vives aut Alcyonius in eodem libro multum inconvenientia notavere, is sane non parum negotij sibi paratum esse reputare debeat. Atque ut ego fatear ingenue quod res est, postquam librum hunc diligenter evolvi, quod si quae doctissimorum ejusmodi virorum, diligentiam fugissent, ea tanquam mediastinus reliquias colligerem, duo tantum inveni, quae miror valde; quomodo ipsi non viderint. Nam cum Aristoteles veluti censoria majestate reliquos auctores proprijs nominibus,

[227]

et nullo addito epitheto laudare, ac appellare soleat, adeoque constanter illud observasse videri possit, ut si opera ejus omnia pervolvas, numquam aliter fecisse deprehendatur; hic tamen paulo se ipso mitior, nescio quam ob causam, factus<sup>158</sup>, «Platonem eximum vocat; et Empedoclem physicum et Heraclitum» dicit «Scotinum ab obscuritate fuisse cognominatum». Quinetiam invenes ibidem: «ѡς φασιν οἱ γεογραφήσαντες». Id est, «ut quidam perhibuerunt auctores rectae et exquisitae Geographiae». Quae Rhetorum ornamenta quam digna sint casta et severa Aristotelis oratione, caecus est profecto, aut certe in Aristotelis schola peregrinus, qui statim non videt. Deinde vero cum Aristoteles, «parcus deorum cultor et infrequens» fuisse deprehendatur, suamque Philosophiam in quibusdam memorabilibus pronunciatis optime fundatam, nobis reliquerit, quae non modo religioni Christianae e diametro contraria sint, ut abunde post antiquos Ecclesiae doctores, probavit M. Antonius Venerius,

[228]

dum in Philosophia, quam ante viginti supra centum annos in lucem edidit, utriusque antinomias omnes distinctis oppositisque capitibus diligenter prosecutus est, sed etiam fictis illis ad occasiones imperiorum religionibus, quae profanos homines tamdiu superstitionum vinculis irretitos detinuerunt, nullo plane modo consentiat. Haec, inquam, cum ita sint, adeo tamen perbelle cum dijs. Eorumque providentia et miraculis in hoc libello agitur, ut, cum omnia in illo pietatis, summaeque in Deum venerationis plenissima sint, tum vero haec verba<sup>159</sup>: «vetus igitur sermo est, a majoribusque proditus inter omnes homines, universa tum ex Deo, tum per Deum constituta fuisse, atque coagmentata, nullamque naturam satis instructam ad salutem esse posse, quae citra Dei praesidium, suae ipsa demum tutelae permissa sit», non obscure significant, Aristotelem, cum haec scriberet, longe se ipso fuisse sapientiorem. Sed venit mihi praeterea in mentem alterius rationis; quae eo magis praesenti instituto

[229]

convenit, quod a re ipsa desumpta est, cuius gratia disquisitionem hanc suscepimus. Auctor enim hujus libelli ad Alexandrum de fato tractat, et quidem verbis apertissimis; ergo non potuit is Aristoteles esse. Quid ita? Nimirum quia hic duobus tantum, aut ad summum tribus in locis operum suorum de natura, fati nomen usurpavit et hercle diverso plane sensu atque in eo libello sumitur. Quod nisi quis ita se habere concedat, vades legitimos dabo Palamedis et Zimarae indices, non minus dictionum copia, quam earumdem explicatione certissima, in pretio non mediocri huc usque ab omnibus habitos. Aut si quis auctores illos ex communi hominum errore<sup>160</sup>:

*Qui reddit ad fastos, et virtutem aestimat annis,*

<sup>157</sup> Marginalia: In appendice ad orationem 10.

<sup>158</sup> Marginalia: Cap. 5. 6. 7.

<sup>159</sup> Marginalia: Cap. 6.

<sup>160</sup> Marginalia: Horat. lib. 2. Epist. 1.

quia nobis sunt viciniores, minoris faciat; antiquiores dabo et omni exceptione majores, Themistium Ecphrastem et Alexandrum ex Aphrodisiade, Interpretes Aristotelis celeberrimos, qui praeter librum quintum

[230]

Physicae auditionis et primum Meteororum, nullos alios proferunt, in quibus Aristoteles sermonem de fato habuerit. Sic enim, ut missum faciam Themistium, postremus ille<sup>161</sup>; «Iam vero de nomine fati Aristoteles mentionem facit in primo Meteororum, hoc modo. Sed omnium horum causa censenda est, quia fiunt per tempora fato decreta ac statuta, velut in temporibus anni Hyems. Ita ambitus cujusdam magni pars est hyems. Videtur autem dicere, fatum naturam esse. Haec enim sunt tempora fato decreta, ac statuta, hyems, et reliqua. Quae naturales cum habeant mutationes, non habent ipsas inevitabiles et coactas». Quin etiam in quinto naturalis auscultationis ita rursum meminit de fato, «Nonne igitur generationes violentae sunt, et non statutae fato, quibus contrariae sunt naturales». Quae malum igitur fortuna fuit libelli istius de mundo? Ut quatuor ejusmodi versatissimis hominibus in Aristotelis philosophia, nunquam persuadere potuerit, se dignum esse, cuius, in hac praesertim materia de fato, quam omnium copiosissime

[231]

tractaverat, ratio ulla haberetur. Profecto licet alio indicio non constaret de ejus falsitate, satis tamen hoc ipsum in causa esset, ut nunquam inter legitimos Aristotelis partus reciperetur, quod ab Alexandre, aliisque interpretibus, cum de fato ex Aristotelis mente tractarent, praetermissus fuit, indictus, innominatusque. Neque etiam Lucius Philaltheus, qui per saturam multos auctores recensem, ut Democritum, Eudoxum, Dicaearchum, Eratosthenem, Polybium, Possidonium, Cleomedem, quorum omnium libri de mundo, aut in manibus hominum versati sunt, aut etiamnum habentur, istius, quasi Aristotelis non esset, sed Polybij, aut alterius mentionem ullam facit. Quemadmodum nec enumeratur inter Philosophiae naturalis partes a Simplicio<sup>162</sup>, Philopono<sup>163</sup>, Averroë<sup>164</sup>, Francisco Caballo<sup>165</sup>, M. Antonio Genua<sup>166</sup>, Iacobo Zabarella<sup>167</sup>, Paulo Lauredano<sup>168</sup>, Velcurione<sup>169</sup>, Ascanio Comitio<sup>170</sup>, omnibusque alijs, qui de naturalis scientiae constitutione librorumve

[232]

Aristotelis ordine sententiam suam scriptis consignarunt. Quod sane argumentum est, si non omnino necessarium, saltem valde probabile, librum hunc de mundo, qui sub Aristotelis nomine circumfertur, nec ad Aristotelem, nec ad ejus Philosophiae naturalis partem, ullo modo pertinere.

19. Hoc igitur postquam hominibus non vulgari doctrina praeditis innotuit, ipsi sagaci mentis indagine conati sunt investigare, quisnam alias ex antiquorum Philosophorum coetu libelli istius auctor esse potuerit. Sed quemadmodum non omnes eadem conjectura ducti sunt, consequens etiam fuit, ut non una eademque foret omnium sententia. Nam Caelius

<sup>161</sup> Marginalia: Lib. 2. de anim. cap. 48.

<sup>162</sup> Marginalia: Comment. in 1. de caelo.

<sup>163</sup> Marginalia: Prooemio physic.

<sup>164</sup> Marginalia: Prooe. lib. de gener. apud Patricium.

<sup>165</sup> Marginalia: In 2. libr. de ordine P.

<sup>166</sup> Marginalia: Initio lib. de anima.

<sup>167</sup> Marginalia: Lib. de natur. scient. constit. cap. 17.

<sup>168</sup> Marginalia: Prooem. in lib. de anima.

<sup>169</sup> Marginalia: Physic. lib. 4.

<sup>170</sup> Marginalia: Praefat. in. lib. nat.

Rhodiginus, et Petrus Alcyonius<sup>171</sup>, ob laxum dicendi genus, floridamque eloquentiam, pene est ut Theophrasto illum attribuant. Victorius autem, Heinsius, et Portius, quia libelli hujus auctorem sub Romanis, vel Augusti tempore, aut paulo infra scripsisse existimant, persuasum etiam habuerunt, non alium

[233]

fuisse a Nicolao Damasceno, qui dum Augustus rerum potiretur, ipse quoque plurimum in philosophia excellebat. Quamquam Mureto non tanti ratio illa videatur, ut quod ipsi concedunt satis belle confirmare possit. Aliam opinionem secutus est auctor *Anonymous Notarum* in Aristotelem, qui ex officina Iuntarum Lugdunensium pluribus, iisque multum exiguis voluminibus prodijt, non penitus meo judicio spernendam. Inquit enim, «liber hic si Stagiritae doctrinam, phrasimque non sapit, ut fama est, illum forte edidit, qui et Rheticam ad Alexandrum». Quod profecto si verum est, sequetur ex eo, «Anaximenem Lampsacenum seniorem», qui Alexandrum Magnum comitatus est, ejus libri verum parentem fuisse. Nam Petrus Victorius in varijs<sup>172</sup>, hujus Anaximenis esse aestimat libros Rheticorum ad Alexandrum, qui falso Aristoteli tribuuntur: eamque conjecturam pluribus argumentis firmat, praefatione in gemina Aristotelis Rhetorica. Quae cum hoc referre nihil necesse

[234]

sit, satis est mihi digitum ad fontem intendisse, unde quoties opus erit, peti nullo negotio possint. Denique Thomas Aldobrandinus ex Iridis descriptione, quam iisdem verbis hoc in libello expressam fuisse animadvertisit, quibus Diogenes Laërtius, Posidonum Stoicum ἐν τῇ μετεωρολογικῇ eandem circumscriptissime refert, non difficuler in hanc opinionem venit, ut hic eidem Posidonio potius quam Nicolao Damasceno, aut alteri cuiquam tribuendus sit. Quinimo Thomas Gianinus<sup>173</sup>, cum videret, nulla in re discrepare definitionem mundi, quae in hoc libro traditur, ab ea, quam Diogenes Laërtius sub ejusdem Posidonij nomine refert, in eandem cum Aldobrandino opinionem non invitus descendit. Quam hercle si quis alias confirmare velit, fateor illum insuper uti posse testimonio Strabonis, apud quem tam praeclare Posidonio et auctori libri de mundo convenit in assignanda marinorum aestuum reciprocationis causa, ut non injuria dubitari possit, num ipsa

[235]

ab uno eodemque auctore, an a diverso profecta sit. Imo vero cum Diogenes Laertius, multa alia Posidonij, dogmata ad Stoicae philosophiae illustrationem in vita Zenonis attulerit, non arbitror factu difficile, ut longe plura quam a nobis commemorata sunt, istius Philosophi placita, cum auctore libri de mundo plane convenientia, invenire possit quisquis in illa paulo diligentius adverterit. Verum quominus in hac sententiarum diversitate uni potius, quam alteri adhaeream, facit istius rei difficultas; quae, cum ipsa, propter discrepantes inter se tot literarum proceres, summa sit, tum vero locus difficilior redditur ex eo quod praeter enumeratos auctores a Philaltheo qui de mundo scripserunt. Invenio etiam Antipatrum laudatum a Laërtio<sup>174</sup>, et Philolaum a Stobaeo<sup>175</sup> in libris περὶ τοῦ κόσμου, ac etiam Zenonem περὶ τοῦ ὄλον et multos alios ἐν τῷ περὶ κοσμογραφίᾳ, περὶ φύσεως, et id genus similibus libris, quorum omnium ambiguitas tam facile potuit obscuritatem et

[236]

tenebras afferre huic Quaestioni de auctore libri de mundo, quam mihi prorsus difficile est in hoc sermonis transcurso illas discutere.

<sup>171</sup> Marginalia: Locis laudatis.

<sup>172</sup> Marginalia: Libr. 14. cap. II.

<sup>173</sup> Marginalia: Initio capit. 2.

<sup>174</sup> Marginalia: In Zenone.

<sup>175</sup> Marginalia: In eclog. physic.

20. Et vero satis mihi fuit, tam fuse, probabiliterque demonstrasse, nihil librum hunc ad Aristotelem pertinere, quoniam hoc pacto veritati, quod suum erat reddidi tum etiam ostendi, maximum Oratorem, non tam suo, quam aliorum errore, qui jam tum forsan invaluerat, deceptum fuisse, in assignanda Aristoteli ea de fato sententia, quam ipse ne per somnium quidem defendere cogitavit. Et hoc sane multo convenientius fuisse arbitror Ciceronis dignitati, nostrisque in illum perpetuis officijs, quam miniatula cera memoriae illius notam inurere, quod hic non secus offenderit, quam dum Ajaxis loco Hectorem, et Ulyssis vice Agamemnonem loquentes inducit, Eupolimque pro Aristophane ponit, et Ganymedem Laomedontis filium fuisse, cum nepos tantum illius esset, asserit<sup>176</sup>; non quidem rerum ignoratione

[237]

sed negligentia; quam recte etiam oculati et accurati rebus in omnibus, si velint effugere, non possunt, quoniam, ut sapienter a Livio dictum est, «exquisite cuncta perquirere, nec facile est, nec omnino possibile».

21. Enimvero ut sermonis illius valde proxili, sed qui paucioribus tamen explicari non debuit, compendium faciam, patet ex illo, nullum Aristoteli commercium fuisse cum fato, neque ulla ratione ipsum adduci potuisse, ut ejus in scriptis suis meminerit, nisi eo sensu, quem paulo supra designavimus, cum ea de re instituta dissertatio a nobis fuisse. Sequutus est postmodum Alexander Aphrodisaeus, qui fatum quod Aristoteles silentio suo condemnare satis habuerat, totis viribus debellandum suscepit, edito in eum finem elegantissimo et doctissimo libello. Quem si fati illius fatui et insulsi fatum extremum, aut si mavis mortem et perniciem fuisse quis dixerit, non erit, opinor, quod petulantiae, aut temeritatis damnari debeat: adeo nimirum est

[238]

inventione foecundus, sententiam pondere gravis, argumentorum copia nervosus, Peripatetica methodo distinctus, dignusque omnino auctore Alexandro. De cuius inter Peripateticos auctoritate, si vel ab illorum aemulis judicium quaeras, Bessarionem Platonicae Philosophiae asseclam, statim audies, in haec verba de illo loquentem<sup>177</sup>, «quaecumque tradit Alexander, non secus quam ab Aristotele acciperemus, judicanda sunt, cum nemo omnium sit, qui libros Aristotelis, vel diligentius indagarit, vel exquisitus, ac rectius exposuerit». Ego vero, ut a proposito libello non discedam, tuebor me exemplo Aquilij Galli, qui de facto referentes ad Ciceronem mittebat, ut, si qui a me rationes innumeratas, quibus fatum jugulari possit, audire velint, eos Alexandrum adire jubeam, qui tam docte negotium illud absoluit; ut abuti potius tua, Beverovici, patientia, quam aliorum commoda juvare mihi viderer, si ex nitidissimis illius commentarijs, ubi maxima cum voluptate et facilitate legi

[239]

possunt, eos in rudes hosce meos et incautos transferrem.

22. Praesertim cum mihi sacris Hygieiae et Panaceae initiato, subvereri nonnunquam contingat, ne satis legitime in ea Quaestione tractanda versari possim. De qua cum Aristoteles et qui ab eo columnina Lycae fuerunt, tanquam de re, quae nihil ad Physicam pertinebat, silendum duxerint: multo minus conveniens esse Medico videbatur, propter artis sua cum Physica cognitionem, ob quam fieri dicebat Aristoteles<sup>178</sup>, ut «Physicorum plurimi, et Medicorum elegantissimi, illi quidem desinant in pracepta medica, hi vero ex naturae contemplatione Medicinam exordiantur», si novum considerandi modum usurparet,

<sup>176</sup> Marginalia: Apud Agel. 2. de Divinat. In orat. Tuscul. 1.

<sup>177</sup> Marginalia: Lib. 2 Apolog.

<sup>178</sup> Marginalia: initio lib. de Sensu, et Sensili.

in disciplina alteri subdita, cuius ratio non ita facile reddi ex superiore illa possit. Hoc enim praeterquam a Zabarella<sup>179</sup> damnatum fuit, videtur quoque artium inter se colligationem, et mutuum veluti respectum non mediocriter turbare. Ac nisi uterque nostrum, Beverovici, tam [240]

scelestam opinionem, adeoque Medicinae infensam, pro viribus evellere hominim ex ingenij, penitusque amandare ad pannuceas bauides conaretur, non video profecto, qui fieri posset, ut ejusmodi nostris dissertationibus patrocinari satis honeste possemus: quandoquidem, ut in rebus alijs, sic in scientijs quoque et artibus, sunt agoranomi, qui nemini plus sumere permittunt, quam ex aequo liceat: sunt metatores qui podismo dimetiuntur loca in quibus singulis consistendum est; sunt certi denique fines, et termini,

*Quos ultra citraque nequit consistere rectum.*

23. Utar igitur ea venia, quam publicae salutis procuratio unicuique facit, ut fatum, quo nihil hominum libertati molestius, nihil Divorum honori, Religionisque nostrae decretis infensius excogitari unquam potuit, non meliori Iure a Stoicis et Platonicis causarum numero, quibus in dies rerum eventus accepti feruntur, ascribi demonstrem, quam a Sinensibus, qui referente Trigautio<sup>180</sup> quinque

[241]

elementa numerant, et post ignem, aquam, terram, duorum aliorum loco metallum et lignum subiiciunt. Ecquid enim tandem fatum illud est? Deus ne? homo? an monstrum? Ubi etiam illi fedes? An in Coelo commoratur? An in terra residet? An per universi latitudinem dispergitur? Et, ubicumque demum sit, quaeram cum D. Paulino<sup>181</sup> non tantum a Iovio, sed ab omnibus, qui aliquo pietatis sensu ducuntur,

*Num Rex ille habuit fatum, qui morte propinqua*

*Oravit Dominum, quem leges noverat unum*

*Flectere posse suas, consumptum ut tenderet aevum*

*Longius, et meruit tria ducere lustra superstes*

*Annis ipse suis, et non sua vivere saecla.*

Nam si fatalis, inevitabilisque constitutio, qualis ea est quae vulgo proponitur de Ezechiae vita, in nobili, si diis placet, et severo illo trium vetularum senatulo lata fuerat, qui fieri amabo potuit, ut tam facile, ipsa etiam aeternitate invita, rescinderetur? Si

[242]

vero nusquam dicta, aut promulgata fuit, quid ipsi tandem his in nugis versantur? eamque necessitatem nobis ostendunt, quae, si vera foret, quid intactum relinquit? quod non affert incommodum? quid in hominum regnorumque perniciem non molitur? serit impietatem καὶ ἀθεότητα: fidem, et justiam aufert, praestantissima animi humani ornamenta, et charissima naturae nostrae praesidia, diligentiam quoque, industriam, sedulitatem, prudentiam adimit, et e contrario inertiae, desidiae, socordiae, stultitiaeque patrocinatur. Denique si nobis in utramque aurem dormientibus, omnia fatum vel necessitas, quasi divina virgula, suppedidat, si quicquid futurum est a necessitate proficiscitur, insanum est profecto, et furori proximum, labores sumere, evigilare, nervos animi, roburque corporis in rem aliquam intendere. Frustra parens filium erudit, monetque, ut ad regulam prava corrigat, si fata inexorabili lege omnia constringunt: frustra judices poenas facinorosis

[243]

<sup>179</sup> Marginalia: Libr. de trib. praecognit.

<sup>180</sup> Marginalia: Histor. Sinar. lib. 4. cap. 3.

<sup>181</sup> Marginalia: Epist. 38. sub finem.

statuunt, si propulsare haec a se mala fatorum placitis prohibentur: perperam etiam homines admonentur, ut ferrum, hostes, insidias, venena, caveant, si mutari certa non possunt, aut parare quicquam praesidij adversus incerta nobis est denegatum. Denique si quis Ciceronem<sup>182</sup>, Alexandrum Aphrodisaeum<sup>183</sup>, Iulum Syrenium<sup>184</sup>, Guillielmum Parisiensem<sup>185</sup>, Bartholomaeum Sybillam<sup>186</sup>, aliosque diligenter evolvat, qui ea incommoda; quae a fatali necessitate, tamquam Pandorae pyxide in hominum genus derivantur, scriptis suis explicarunt, mirari sat scio nunquam definet eorum amentiam, qui tam futili larva, tam rudi, et inepta fabula, tantam rebus omnibus confusionem inducere conati sunt. Ecquid enim bonitatis et misericordiae in Deo, libertatis in hominibus; aequitatis in legibus, laudis aut vituperij in actionibus nostris relictum est: si ob immotas quasdam causas, quas declinare nemo possit, inexpugnabilemque inter se earundem connexionem, uni tantummodo [244]

necessitati litandum est, ut bene velit, ut prospера sit? Imo ne litandum quidem, sed exspectandum, ut quod ipsa facere aliter non potest, hoc tandem invitis hominibus dijsque faciat: nihilque prorsus juvabit aut in agendo consilium, aut in medendo pharmacum, aut in persuadendo eloquentia, aut rebus in cunctis diligentiam, sed quod homines recte suis in negotijs versentur, quod sedulo illa curent, quod sanentur, quod persuadeant, totum hoc praestabit

*Sidus, et occulti miranda potentia fati.*

Cui ignavae rationi si pareamus, «nihil est omnino, inquit Tullius<sup>187</sup>, quod agamus in vita». Quaerenti vero, qui fieri haec ita possint, cum, ex Seneca, «si Deus efficeret, ut haec particularis nostri pars», de voluntate autem illi sermo est, «vel ab ipso, vel ab alio quopiam cogi posset, aut impediri, profecto pro Deo non esset habendus, nec sane eo quo aequum erat modo nos curaret»: respondebit, nec forsan sine risu, fatuus aliquis ex eorum numero qui fatum ponunt, male nos cum deorum natura rationem posuisse, qui

[245]

fata ipsimet vitare non possunt: male item cum natura, in qua tot exemplis jam usque ab antiquissimis temporibus confirmatum fuit, quod<sup>188</sup>

*Fatis mortalia cuncta reguntur;  
Fatum dat mores, fortunam, et termitat annos;  
Plus fatum quam fama valet.*

Ut illud probare velle idem penitus sit, quod solem ostendere pleno meridie. Verum audiat quaeſo Ciceronem quicumque tam molliter et incaute in hunc errorem seducitur: «Quaero, inquit<sup>189</sup>, si fati omnino nullum nomen, nulla natura, nulla vis esset, et forte, temere, casu, aut pleraque fierent, aut omnia, non aliter, ac nunc eveniunt, evenirent. Quid ergo attinet inculcare fatum, cum sine fato ratio omnium rerum ad naturam fortunamve referatur?» Sane cum video, quosdam homines fatis tribuere, quod liberae electioni, aut rerum contingentiae, ac fortunae potius acceptum ferendum esset, venit mihi ejus in mentem, quod narrat Seneca in Quaestionibus Physicis<sup>190</sup>, nimirum Cleonijis

[246]

<sup>182</sup> Marginalia: Lib. de fato.

<sup>183</sup> Marginalia: Lib. de fato.

<sup>184</sup> Marginalia: Lib. 3. de fato cap. 38. et sequent.

<sup>185</sup> Marginalia: 1. part. de univers. part. 3 capit. 21.

<sup>186</sup> Marginalia: Peregrinar. Quaestio[n] decad. 1. qu. 3. dub. 4.

<sup>187</sup> Marginalia: Libr. de fato.

<sup>188</sup> Marginalia: Poëta stellatus lib. 4.

<sup>189</sup> Marginalia: Libro de fato.

<sup>190</sup> Marginalia: Lib. 4. cap. 6.

fuisse publice popositos χαλαζοφύλακας «speculatores grandinis». Qui cum signum dedissent adesse grandinem, tum singuli non ad penulas aut scortea discurrebant, verum pro se quisque alius agnum immolabat, alius pullum: et qui majoribus hostijs exorare non poterat, ut grando se a proprijs agris averteret, illud non secus quam alij, puncto digito, vulnerataque parte alia corporis, unde sanguis avidis nubibus placandis efflueret, consequebatur. Venit insuper et alterius veterum erroris, qui lunam, quoties interpositu interjectuque terrae deficiebat, Magico carmine coelo devocari, ruboreque pae verecundia suffundi credidere; adeoque, ne veneficarum verba audire posset, aeris tinnitu obstrepebant. Ut praeter Juvenalem<sup>191</sup>, Plutarchum<sup>192</sup>, Senecam Tragicum<sup>193</sup>, et Statium<sup>194</sup>, paeclare advertunt Boëtius in his versibus<sup>195</sup>:

*Quaeque fulgenti texerat ore,  
Confusa Phoebe detegat astra.  
Comovet gentes publicus error,  
Lassantque crebris pulsibus aëra.*

[247]

Et S. Maximinus in homilia, quae inter D. Ambrosij opera legitur, multique alij, quorum de hac re testimonia passim in humaniorum literarum collectionibus haberi possunt. Quemadmodum enim grandinis aversio et obscuratio lunae, quae caussis pure naturalibus fieri consueverunt, superstitionis et inanibus, cuiusmodi sunt pecudum mactatio, tinnitusque quassati aeris, et incognita vociferatio, stulte non Cleonijs tantummodo, sed Romae in clarissima gentium omnium luce tribuebantur; ita usu venit etiamnum hisce temporibus, ut Stoici, quos magis fabulosa quam Poëtas dicere, non frustra quidem Plutarchus, et Coelius Calcagninus, editis in eam rem speciatim libellis, ostenderunt, είμαρμένην καὶ πεπρωμένην id est, «causarum ordinem praefixum seriemque inoffenso tenore procedentem», rebus in cunctis statuant; quas tamen, ob earum contingentiam, quam Benedictus Pererius contra Stoicos<sup>196</sup> ipsos multis rationibus defendit, longe magis consentaneum vero est aut ab

[248]

electione nostra pendere, aut a casu, vel fortuna: quae hanc ob rem ex ijs quae Aristoteles in Physicis<sup>197</sup> de ipsa habet, definiri potest, causa per accidens in ijs, quae operantur ob aliquem finem ex electione, neque semper neque ut plurimum: cum interim casus ab ea tantum differat, quod fortuna in rebus humanis, et ijs potissimum, quae agunt ex electione, locum habeat, casus autem in agentibus naturalibus, et in ijs, quae naturaliter accident, versetur.

24. Et hercle si quis vellet praefracte contendere quaecumque a Stoicis fato evenire dicuntur, ea solo casu, aut fortuna fieri, nescio profecto, qua tandem ipsi ratione tueri hanc factorum vim, eamque ab adversariorum contrarijs argumentationibus defendere possint. Etenim cum effectus eodem semper modo sequatur, sive a casu, aut fato contingat, videri quidem posset illa quaestio ex earum esse numero, quae paribus utrimque rationum momentis libratae neutram in partem satis probabiliter determinari possunt, nisi rationes,

[249]

<sup>191</sup> Marginalia: Satyr. 6.

<sup>192</sup> Marginalia: In Paulo Aemylio.

<sup>193</sup> Marginalia: In Hippolyto.

<sup>194</sup> Marginalia: 6. Thebaid.

<sup>195</sup> Marginalia: Libr. de consol.

<sup>196</sup> Marginalia: Lib. 4. de principijs, cap. 12.

<sup>197</sup> Marginalia: 2. Physicorum textus 52.

quae pro fato afferuntur, tam leves essent, adeoque ipsimet rationi et sensibus adversae, ut si quis ex earum consideratione, voluntatis nostrae libertatem, aut fortuitarum rerum concursionem neget, is profecto melior: «sit Anticyras sorbere meracas», quam ut in doctorum hominum consessu de literis judicet. Ac certe quoniam de libera hominis voluntate, quod ipsa utramque ferme in actionibus nostris paginam faciat, res est adeo manifesta, ut nulla probatione indigeat. Age videamus si quid etiam in illis casui et fortunae relictum sit. Hoc vero ut faciam, statuendum est mihi cum sapientissimis hominibus, hanc universi molem, ita a summo rerum moderatore et architecto coagmentatam fuisse, ut ad ejus perfectionem alias causas necessarias, et indissolubili vinculo cum effectis colligatas, alias fortuitas, et sese mutuo impedientes, quasdam liberas, et ad primi auctoris ac prototypi exemplum proprius accedentes, esse voluerit. Hoc enim in eum modum

[250]

stabilito, consequens est, et casus, et fortuna, quorum appellatio ne Theologis quidem molesta est, suas in hoc mundo, et quidem splendide, partes agant. Quoniam, ut inquit Baptista Mantuanus<sup>198</sup>, «intellectui, qualis noster est, qui sibi, quae eventura sunt, parum videt, praeter propositum multa contingunt: nam fallax ista rerum mobilitas, et inconstans mundi fluctuantis ingenium, nova semper important: et bona, ac mala, sperata, et insperata, promiscue ingerit naturae nunquam ociosa foecunditas. Et haec causa est, ut in tanto rerum luxu, quaerenti unum, aliud se offerat, sicut in foro, cum nundinae sunt, in tanta plebis frequentia ignoti plures quam noti occurrunt». Tandemque concludit, quod: «animo omnia intuenti, ut divino, nihil; pauca cognoscenti, ut nostro, multa casu et fortuna contingunt». Quo sensu videmus, sacrorum librorum auctores minime sibi indecorum putasse, si multarum rerum causas, in casum ipsum referrent. Nam in libris Regum dicitur, quod adolescens ille Amalecites, qui Saul occidit, «casu venit in

[251]

montem Gelboe»; et ibidem<sup>199</sup> «vir quidam in incertum sagittam dirigenz casu percussit Regem Israël inter pulmonem et stomachum»: ac denique Ecclesiastis capite nono, «Verti me ad aliud, et vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientum panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam, sed tempus, casumque in omnibus». Profani vero scriptores tam crebri sunt in casus commemoratione, ut si omnes eorum locos, quorum subit mihi in mentem recordatio, afferre vellem, dies me prius deficeret, quam ejusmodi ad dicendum materia. Quamobrem unus mihi instar omnium erit Ovidius, qui in libro περὶ τῆς κακοτεχνίας, non minus casum furtivis amoribus propitium fore contendit;

*Casus ubique valet, semper tibi pendeat hamus,*

*Quo minime credis gurgite, piscis erit;*

quam alibi vim ejus in negocijs pene omnibus maximam esse his versibus declarat<sup>200</sup>,

[252]

*Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,*

*Et subito casu, quae valuere, ruunt.*

Nec plura addo in re notissima, et ex qua cum Aristoteles ipse<sup>201</sup>, Algazel, Averroës<sup>202</sup>, Boëtius<sup>203</sup>, Lactantius Domaninus<sup>204</sup>, Bravardinus<sup>205</sup>, Pererius<sup>206</sup>, et alij fuse disseruerunt,

<sup>198</sup> Marginalia: Lib. 2. de patientia cap. 6.

<sup>199</sup> Marginalia: 2. Reg. cap. 1. 3. cap. ult.

<sup>200</sup> Marginalia: De Ponto.

<sup>201</sup> Marginalia: 2. physicor.

<sup>202</sup> Marginalia: In Physicis.

<sup>203</sup> Marginalia: De consol.

<sup>204</sup> Marginalia: De Prov. lib. 2. cap. 18.

tum etiam ego multa dixi in Syntagmate de militari studio, quae mirabilibus exemplis confirment, non perperam dictum fuisse a Cornelio Tacito<sup>207</sup>: «Casus, eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt».

25. De fortuna vero, quae amica varietati, una omnium maxime fatorum constantiam respuit, non eo modo, quo caeteri solent, mihi dicendum esse existimo, quoniam ille in tanta poëtarum oratorumque frequentia, qui vim ejus, et incredibilem in rebus humanis potestatem extollunt, infinitus esse solet,<sup>208</sup> «toto quippe mundo, et locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus fortuna, ut inquit Plinius, sola invocatur, una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola arguitur; et cum convicijs colitur, volubilis a plerisque etiam [253]

caeca existimata; vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix; huic omnia expensa, omnia feruntur accepta, et in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit». At cum fati propugnatores ex eo potissimum ostendere conati sint, quanta ejus apud homines existimatio, et potestatis opinio fuerit, quod templum in urbe tribus Fatis dicatum olim fuisse, historiarum monumentis consignatum est; eodem certe argumenti genere, palam omnibus faciam, quantum fortunae vis, et majestas, potiori apud omnes in veneratione fuerit; cum ipsi non sacellum aliquod in urbis angulo; sed infinita propemodum in singulis orbis partibus templa dedicata fuerint. Atque ut ex illis, quae in sola urbe Roma obtinuit, numinis illius amplitudinem explicem; certum est ex Ludovico Vive<sup>209</sup>, consecratas illic fuisse aedes, «malae fortunae et detestatae», in Exquilijs; «fortis», in Ripa Tyberina juxta Theatrum; «parvae, virginis primigeniae, obsequentis», ad portam Capenam; «privatae, publicae, viscatae, virilis, et

[254]

convertentis», in Palatio; «bene sperantis, blandae, avertentis, et dubiae», in Aventino; «mammoxae» denique in duodedima ragione, et «barbatae ac muliebris». Quibus templis credibile est initium dedisse Servium Tullium, quod ab ipsa fortuna ex servo ad Regnum esset evectus. Incrementum vero iisdem accessisse, sub id tempus de quo dicebat Tacitus<sup>210</sup>, «Struebat jam fortuna in diversa parte terrarum, initia, causasque imperio». Quandoquidem ita semper in fortunam affecti fuerunt Romani, ut non modo singula ejus beneficia novi alicujus templi dedicatione prosequerentur, sed male etiam secum agi putarent, si vel minima injuria numen ejus violaretur; adeo ut aliquando, cum Romae fortunae templum conflagrasset, et ex militibus, qui ad restinguendum incendium venerant, quidam contumeliose verba in falsum numen protulisset, is a plebecula superstitione confestim fuerit interemptus; quemadmodum a Zosimo Comite, et Exadvocato Fisci<sup>211</sup> in historia Romana conscriptum est. Quinimo

[255]

refert Sozomenus<sup>212</sup>, non aliam ob causam dici infensum fuisse Caesariensibus Iulianum Imperatorem, nisi quod fortunae Sacellum quoddam evertissent. Atque ita, si communis hominum aestimatio conciliare rebus ipsis auctoritatem aliquam potest, procul omni dubio est, magis illam in Fortunae, licet volubilis et incertae, partes, quam in Fatorum

<sup>205</sup> Marginalia: De causa Dei, lib. 1. cap. 19.

<sup>206</sup> Marginalia: Lib. 1. de principi.

<sup>207</sup> Marginalia: Lib. 1. hist.

<sup>208</sup> Marginalia: Lib. 2. cap. 7.

<sup>209</sup> Marginalia: In lib. 4. de civit. cap. 18.

<sup>210</sup> Marginalia: 2. Histor.

<sup>211</sup> Bisogna leggere: *Comite, et Advocato Fisci*.

<sup>212</sup> Marginalia: Lib. 6. tripart. cap. 6.

constantissimas leges propendere. Nec injuria sane, cum ipsa non rectius quam fortuna de rebus statuant, ita ut si haec caeco impetu rotam suam convertere dicatur, illa prorsus inconsulto, et insano, decreta sua promulgare existimanda sint. Quod Strabo quantumvis Stoicorum placitis addictus, et προνοίας defensor, dissimulare tamen non potuit. Nam postquam ex Aeschylo retulit, campum lapidosum, qui inter Massiliam et ostia Rhodani cernitur, ejusmodi saxis, quae manum implere possint, ab eo tempore refertum videri, quo Iupiter, fato jubente Herculem destitui spiculis, cum adversus Ligures pugnaret,

[256]

lapidibus pluit, quibus ille armorum loco uti posset; simulque Posidonij dicterium addidit, subsannantis Aeschylum, quoniam praestabat saxa in ipsos injicere Ligures potius, iisque hos obruere, quam eo periculi et inopiae adigere Herculem, ut arma de coelo expectare deberet: ipse demum in Aeschyli purgationem subjungit, «*Sed alias quoque poëta, haec ita in fatis esse dicens, non patitur in ea culpandi studio inquire: nam ἐν τοῖς περὶ τῆς προνοίας καὶ τῆς εἰμαρμένης λόγοις, ubi de providentia, et fato disputatur, multa inveneris alioqui in rebus humanis, et naturalibus, de quibus dices, praestitisse alio, quam hoc modo ea fieri: ut verbi gratia, imbris potius irriguam Aegyptum debuisse esse, quam ab Aethiopia humorem accipere: et Paridem, cum Spartam peteret, debuisse potius naufragium facere, quam rapta Helena, poenas postmodum sceleris dare auctorem tantae cladis Graecorum ac Barbarorum, quam Euripides Iovi imputat:*

*Ζεύς γάρ κακόν μεν Τρῶσι πῆμα δ' Ἑλλάδι  
Θέλων γενέσθαι, τα δ' ἐβούλευσεν πατήρ.*

[257]

*Iupiter malum Troibus, et cladem Graeciae  
Volens contingere, ita decrevit pater.*

26. His igitur rationibus, licet ejus opinionis vanitatem, quae fatorum decretis nihil in hoc mundo non fieri statuit, propalasse meo quidem judicio satis videar: nihilo minus cum maxima sit apud antiquos scriptores vocis illius homonymia, et non uno eodemque modo poëtae, Astrologi, Philosophi, de fato loquantur, aut scribant, puto, mihi eam ob rem fraudi non futurum, si ex distributione fati in poëticum, Mathematicum, et Metaphysicum, per singulas ejusmodi differentias discurrendo quam ipsarum singulae parum cum ratione convenient, et quam multa absurdia atque inconvenientia dicant, sigillatim ostendam. Ac de Poëtis quidem res est ipsa levis adeoque nullius ferme momenti, qua tandem ratione de fato locuti sint. Nam cum Ovidius dicat,

*Exit in immensum faecunda potentia vatuum,  
Obligat historica nec sua verba fide.*

[258]

additque ejus facultatis, quam habent multa ad aurium voluptatem configendi, sequentia exempla;

*Per te Scyllae Patri canos furata capillos,  
Pube premit rabidos inguinibusque canes.  
Nos pedibus pennas dedimus, nos crinibus angues,  
Victor Abantiades alite fertur aequo.*

Imo cum Aristoteles, Platonis in Phaedone opinioni subscribens asserat: «*τὸν ποιητὴν μᾶλλον τῶν μύθων εἶναι δεῖν ποιητὴν ἢ τῶν μέτρων*», id est, «*poëtam magis oportere fabularum, esse effectorem, quam versuum*». Nec ab utroque Proclus dissentiat, locum illum Platonis in Phaedone exponens. His de causis neminem puto valde sollicitum fore, quibus demum lineis, et coloribus poëticis, fatorum historia depingatur. Sed cum ex alia parte considero, maximam esse delectationem, quae sensim in hominum animos ex rebus novis et

insolitis, mirisque fabularum inventionibus irrepit, dixeritque in hunc omnino sensum Horatius<sup>213</sup>,

[259]

*Ficta voluptatis causa sint proxima veris:*

rursus ferendos esse poëtas existimo laudandosque magnopere, quod frequenter in operibus suis fatorum meminisse, eaque etiam, quasi solio Iovis assiderent, depingere consueverunt, tam constanti quidem et ingeniosa fictione, ut haec postea in oratores etiam ipsos dimanarit. Nam Depranus Pacatus ex similitudine quadam a fatis ipsis desumpta, in Theodosij panegyrico dicere non dubitavit, «an ut illi majestatis tuae participi Deo, feruntur assistere fata cum tabulis, sic tibi aliqua vis divina subservit, quae quod dixeris scribat et fuggerat?». Nempe volebant, ut inquit Martianus Capella<sup>214</sup>, fata Iovis esse sententias, atque has excipi a tribus Parcis quae sint veluti Superum scribae ac librariae, archivique caelestis custodes. Sed multa insuper alia de ipsis fingere soliti sunt, quorum summam cum Phornutus<sup>215</sup>, Fulgentius Placiades<sup>216</sup>, Boccacius<sup>217</sup>, et caeteri mythologi fecerint, non diutius in his referendis immoror; sed omnium loco Parcarum descriptionem

[260]

qua nulla unquam elegantior, aut a poëta magis exculto nitidoque visa est, in medium proferam, certe lubentius, quod licet Catullus omnium manibus teratur, nulli tamen eorum, qui de fato scripserunt, hactenus in mentem venerit eorum versuum, in quibus ille Parcas tam scite graphiceque delineavit, ut ne quidem Apelles divino suo penicillo, illud maiori cum arte vel fortuna praestare unquam potuisset. Sic enim ille,

*Cum interea infirmo quatientes corpora motu,*

*Veridicos Parcae coeperunt edere cantus:*

*His corpus tremulum, complectens undique vestis*

*Candida purpurea Tyrios excinxerat ora.*

*At roseo niveae residebant vertice vittae,*

*Aeternumque manus carpebant rite laborem.*

*Laeva colum molli lana retinebat amictum,*

*Dextera tum leviter deducens fila supinis*

*Formabat digitis, tum prono in police torquens*

*Libratum tereti versabat turbine fusum:*

*Atque ita decerpens aequabat semper opus dens,*

[261]

*Laevaque aridulis haerebant morsa labellis,*

*Quae prius in leni fuerant extantia filo.*

*Antepedes autem candardis mollia lanae*

*Vellera virgati custodibant calathisci.*

*Hae tum clarifona pellentes vellera voce,*

*Talia divino fuderunt carmine fata,*

*Carmine perfidiae, quod post nulla arguet aetas.*

Dedit autem huic opinioni causam vulgata quorundam hominum, et praesertim mulierum, narratio de fatis, aut fatuis, sive albis deabus; de quibus cum antiqui multa fabulose retulissent, tum vero longe plura excogitata sunt ab ijs, qui Romanenses libros, ut eos

<sup>213</sup> Marginalia: In Arte poët.

<sup>214</sup> Marginalia: Lib. 1. philosophiae.

<sup>215</sup> Marginalia: Libr. de deor. nat.

<sup>216</sup> Marginalia: 1. Mythol.

<sup>217</sup> Marginalia: 1. de Genealog. cap. 32.

quidem vocamus, sive magicas, et incredibiles, atque fatatas equitum quorumdam actiones sub Caroli Magni tempora fingere ex ingenio, et in historias referre sunt aggressi. Ac ne quis posterioribus quoque saeculis, idem usu venisse dubitet, facit Guillelmi Parisiorum Episcopi de eadem re testimonium<sup>218</sup>. «Sed et usque hodie, inquit, apud multas nationes, est hujusmodi opinio et forsitan apud omnes, et multi sunt ex

[262]

egregijs militibus, quos fatatos sic dicunt id est, magnos eventus eorum a dijs, vel deabus, antequam evenirent, praefatos fuisse sive praedictos». Sed, quemadmodum dixi, poëtarum haec inventa sunt, et nugamenta, quae tam libenter in Homeri et Ariosti carminibus leguntur, quam a philosophorum libris procul abesse debent, tanquam omnino indigna Peripati gravitate et absurda otiosorum hominum gratitamenta, quibus nihil est cum veritate commercij.

27. Sequitur in nostra divisione fatum Mathematicum. Cujus opinione imbuti Chaldaeи et genethliaci, omnem fere Astris rerum gerendarum praerogativam transcribunt: atque ita statuunt<sup>219</sup>,

*Quae sit stella homini commoda, quaeque mala.*

Ut magnum proculdubio illis hominibus cum coelo commercium fuisse oporteat, qui tam enucleate syderum naturam rimari, aspectuum diversitatem indagare, et singularum positiores [positionum vires], latentesque virtutes, etiam earum

[263]

quae semel duntaxat observatae sunt, deprehendere potuerint. Et nihilominus ita res ipsa apud Plinium<sup>220</sup> certa est, ut is in historia sua naturali pronunciare non dubitarit, quod «singulis sydera tributa sunt nobis, clara divitibus, minora pauperibus, obscura defunctis et pro sorte cujusque lucentia ad munera mortalibus». Quibus ex Astrologorum decretis, quoniam non aliud fatum impendet, quam coeleste illud a Saturno vel Iove defluum, propterea non temere dictum a Iuvenale fuit<sup>221</sup>,

*Distat enim, quae*

*Sydera te excipient, modo primos incipientem*

*Edere vagitus, et adhuc a matre rubentem.*

Et sane praeter divinaculos illos de circo qui arti suae modis omnibus suffragari conati sunt: video etiam, quosdam non ineptos artium censores, in ejusmodi fatum tam propensos fuisse, ut, locum ei inter physicas causas tribuendum esse, multis rationibus, docuerint. Quod certe quam sit indignum, hominis bene de rerum veritate, et

[264]

totius mundi ordinatione consciij, judicio, pluribus nunc ostenderem; nisi mihi, jam antea laborem hunc praevertissent cum Patres ferme omnes, qui prioribus saeculis in Ecclesia a profanorum hominum superstitionibus eradicanda desudarunt, tum vero Picus Mirandulanus, Alexander de Angelis, et tres in eodem nomine multum fortunati homines, Sixtus Senensis, Sixtus ab Heminga et Sixtus Pontifex Maximus, quorum hic non libris, et rationibus, ut priores, sed diris, execrationibusque, artem hanc omnium vanissimam, et maxime in Deum hominesque injuriam, procul a Christianorum animis, procul a Scholis, et communi illo usu, qui maximum sensim abusum invexerat, quasi devotam inferis, exulare voluit. Quamobrem cum e more, institutoque meo non sit,

<sup>218</sup> Marginalia: Part. 1. de univers. part. 3. cap. 24.

<sup>219</sup> Marginalia: Propert. eleg. 5. lib. 2.

<sup>220</sup> Marginalia: Lib. 1.

<sup>221</sup> Marginalia: Satyr.7.

*Quae sunt dicta alijs, iterum sermone referre;*

non solum ab his omnibus, quae Scriptores illi in Astrologos dixerunt<sup>222</sup>, calamus temperabo; sed etiam Bardesanis

[265]

Chaldaei<sup>223</sup>, Diodori Tarsi Episcopi, Nemesij, Bravardini<sup>224</sup>, Guillielmi Parisiensis<sup>225</sup>, Bartholomaei Sibyllae<sup>226</sup>, aliorumque non de plebe scriptorum argumenta, quae forsan cum aliqua laude meum in succum convertere possem, prorsus indicta relinquam; et unica tantum ratione; atque ingenua ejusdem recentis Astrologi confessione, satis habebo, illud probabiliter ostendisse, quod Marinus Mersennius et Petrus Gassendus, viri publico hominum bono, et nobiliorum disciplinarum incremento nati, novis, gravibusque argumentis demonstrarunt; scilicet totum id, quod Astrologorum arte continetur, nulla neque ratione, neque observatione fulciri, sed rem esse omnino, de qua non aliud ferri judicium convenientibus possit, quam illud D. Ambrosij in Hexaëmero, «nonnulli tentaverunt exprimere nativitatum qualitates, qualis futurus unusquisque, qui natus sit, esset, cum hoc non solum vanum sit, et inutile querentibus, sed impossibile pollicentibus». Ratio autem, qua fatum

[266]

Astrologicum nullius esse momenti confirmatur, procedit ab hypothetica materiae necessitate, quoniam illa ut benignos vel malignos coelorum influxus recipiat, debet esse certo modo praeparata. Alteratio enim praecedit ortum simplicem, et antequam oriatur substantia, materiam ex qua fit, alterari, et varie praeparari, necesse est. Praeparatur vero a secundis causis et perficitur a primis. Unde viri semen sive, ut vocatur a Plutarcho, ἀφρός τοῦ χρηστοτάτου αἵματος, quantumvis faecundum sit, nisi sanguinem maternum inveniat, ea qua decet quantitate et qualitate praeparatum, suo fine procul dubio frustrabitur. In Aegypto, quia Nilus ἄναυρος nihil evaporat, Terra, quia exsucca, nihil exhalat, eam ob rem coelum illic serenum est, et quantumvis astra pluviam minentur, quia tamen nubes illic nulla est, fit ex consequenti, ut pluvia, aut admodum his in locis rara, aut prorsus nulla sit, sed unius fluminis exundatione tota Aegypti foecunditas contineatur. Ad quam

[267]

Tibullus cum respiceret, idcirco dixit;

*Te propter, nullos tellus tua postulat imbres,*

*Arida nec pluvio supplicat herba Iovi.*

Eodem igitur modo, nisi planeta, geniture dominus, subjectum idoneum inveniat fato huic caelesti recipiendo, quod in homines immettere dicitur, tam incassum profecto laborabit, quam si plastes lapidem fundere, aut sculptor candens metallum in statuam fingere vellet. Atque ita, cum ejusmodi materiae praeparatio a causis sublunaribus et determinatis pendeat, verissimum semper erit cum poëta quodam asserere, quod

*Libera stat nobis mens nulli subdita coelo.*

Denique ingenua illa, quam dicebamus, confessio, nude, et absque ullo verborum aenigmate, facta fuit ab Hilario Altobello seniore, in tabulis regijs divisionum duodecim partium coeli, quae Maceratae primum editae sunt, sub annum Domini MDCXXVIII. Etenim postquam in illarum praefatione, multus veteris Astronomiae errores

[268]

<sup>222</sup> Marginalia: Apud Euseb. Apud Photium.

<sup>223</sup> Marginalia: Lib. de legibus, cap. 25.

<sup>224</sup> Marginalia: Libr. de causa Dei cap.28.

<sup>225</sup> Marginalia: Lib. de anim. cap. 35.

<sup>226</sup> Marginalia: Peregrin. quaest. Decad. 1. qu. 3. dub. 5.

recensuit, sermonem demum de illis hunc in modum concludit: «Cum igitur per tot saecula fluctuarit Astronomia, et mendax tanto tempore peragrari totum orbem, quot modis, quot locis, quot viribus, quot cum temerarijs vel ignavis auctoribus, inverecunda, fronte perfricta, fornicata est? Nunquam, nullibi, nullis, (ante Tychonem et a Ptolemaeo post aliqua saecula) annuam veracem revolutionem dedit, neque eventuum verum tempus consignavit, non ipsa, non sua dilectissima filia Astrologia. Utraque enim pavit curiosos mendacijs et adulationibus. Si autem interdum mendaces non fuere, sors favit, vel casus, vel per accidens congruentia syderum ad illa puncta et non docta ac naturalis conjectatio». Qua opinione quantum vulgatis de Astrologiae veritate exemplis, experimentisque praejudicij inferatur, cogitandum unicuique relinquo, illudque tantum addo, quod M. Tullius in libris de Divinatione<sup>227</sup> sapienter omnino, et in hunc meum atque Altobelli sensum protulit, ut quam vana sint et ridicula Astrologorum

[269]

judicia ostenderet. «Quam multa ego Pompeio, quam multa Crasso, quam multa huic ipsi Caesari a Chaldaeis dicta memini, neminem eorum nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum, ut mihi permirum videatur, quemquam extare, qui etiamnum credatijs quorum praedicta quotidie videat re et eventis refelli».

28. Iam vero Mathematico huic Fato succedit Metaphysicum, quod duo celeberrimi homines cum in Academiam, tum etiam in Porticum intulerunt, Plato nimirum, quem Theologi nostri a philosophandi modo, qui pietatis in se multum habet, divinum appellant, et Zeno Cytieus, non minus ipse quam Plato, divisorum providentiae amicus. Verum cum de Stoicorum sententia circa fati naturam nemini non sit exploratum quid tandem statuendum sit: non item de Platonis opinione judicandum est: quae tam varie a nonnullis refertur, ut, quemadmodum Arellius Pictor dearum imagines ad dilectorum speciem effingebat,

[270]

ita sane videri possint Platonici omnes, pro ea opinione, quam singuli de Fato habebant, praeceptoris sui mentem explicasse. Quod ne gratis dictum a me fuisse quis aestimet, vades ecce sisto Iacobum Carpenterium<sup>228</sup>, et qui paulo caeteris diligentius hac in disquisitione versatus est, Thomam Gianiun<sup>229</sup>; apud quos videri nullo negotio potest, quam parum inter se convenient Maximus Tyrius, Iamblichus, Proclus, Alcinous, Apuleius, Plutarchus, Chalcidius, Nemesius, Georgius Trapezuntius, Sebastianus Foxius et quidam alij, in ejusmodi Platonis opinione explicanda. De qua si vellem inter tot discrepantes sententias aliquid certi statuere, profecto non minus conatu ipso et labore, qui viribus meis impar est, quam voluntate de rebus tam abstrusis pronunciandi, forem ridiculus. Quamobrem tuebor me potius vulgato illo Virgilij carmine

*Non nostrum inter vos tantas componere lites.*

Simulque, priusquam a Platone discedam,

[271]

monebo te, Beverovici, non satis accurate fecisse D. Paulinum, cum ita in ipsum, quasi poëtarum fata, deasque albas, aut vetulas mentes, in Academiam suam introduxisset, his verbis, paulo, mea quidem sententia, acerbioribus, et inconsideratis, invehitur<sup>230</sup>: «nec minore mendacio fata simulantur vitas hominum nere de calathis, aut trutinare de lancibus; quod deliramentum, ne vulgo imputemus, aut nimium philosophos admiremur a Platone

<sup>227</sup> Marginalia: Lib. 2.

<sup>228</sup> Marginalia: Disput. de fato in Alcin.

<sup>229</sup> Lib. de calinat. par. 2. cap. 43.

<sup>230</sup> Marginalia: Epist. 38. ad Iovium.

etiam delirante narratur, qui in gremio anus pensum necessitatis exponit et tres ei filias addit, concinnantes et versantes fusum, et per fila ludentes, hoc scilicet lanificio autumnas eas conficere res hominum et tempora cuique signate detexere; tantum abusus est humanis auribus arrogantia inanis facundiae, ut ridiculam anilis fabellae cantilenam non erubesceret scriptis suis, quibus de divina etiam natura quasi conscius disputare audebat, inserere». Siquidem tantum abest, ut Plato in his, quae de tribus Parcis commentus est, reprehendi debeat, ut satis laudari figmentum illud

[272]

non possit, si non tam fati ipsius quam eorum, quae fati nomine intelligere voluit, ratio habeatur. Ecquid enim vel inventione pulchrius, vel narratione jucundius, quam animam mundi tres in partes distrahi? Scilicet in sphaeram non errantium syderum, in planetas vagos et mobiles, ac in subdita illis elementa, quae passione inter se, actioneque perpetuo concitantur: ex quibus fixarum stellarum orbis ἀτροπος nuncupetur, quoniam scilicet nullo pacto flecti, aut ordinem suum mutare consueverit: planetarum vero globi, qui non uno modo revolutiones suas peragunt, κλωθώ: et natura demum rerum sublunarium λάχεσις vocentur. At hoc modo Platoni convenientius visum est, Parcarum nomina, et officia, ad fati naturam explicandam convertere, quam ad triplicem cognitionis modum quemadmodum fecit Xenocrates, qui referente Sexto Empirico<sup>231</sup>, Atropon dicebat eorum esse, quae sub intelligentiam cadunt, Clotho autem sensibilium, et Lachesim

[273]

intelligibilium: aut ad pariendi tempora; quae cum duo tantum commoda traderentur, hinc Parcis appellationes, Nonae, Decimae, et Mortae a quibusdam inditae sunt: aut denique aliud comminisci, quo forsan non ita convenienter mysterijs, quae sub illarum vetularum fabula latere prisci Theologi voluerunt, fecisset satis. Caeterum quomodo Simon Portius ex illo dilemmate, quod providentia secundum Platonem eadem cum fato sit, aut ab illo diversa, in ejusdem opinionem de fato insurgat et quot illam rationibus Paripateticis expugnatum eat, pluribus hoc loci dicerem, nisi me puderet omnino certaminis illius personati, in quo Patroclus sub Achillis clypeo pugnare solet; maxime cum adeo non sim digladiationum avidus, ut, quoties proprijs armis non possim, alienis illas aggredi vehementer desiderem. Superest igitur Stoicorum opinio. Quae non minus et ipsa quam superiores aliae reprehensioni obnoxia est. Nam cum nobis proponat Anum<sup>232</sup> quandam

[274]

*Pronoean* nomine, sagacem admodum, ac pervigilem illam; quae hoc omne quod cursu inenarrabili caelestes secum rapit anfractus fabrefecit; quae solem, lunam, elementa, architectata est; quae suis illis rugosis manibus, summa haec imaque perfecit; cui tandem omnia debeamus: ecquis, rogo, haec non rideat, tam diversa a Sphaera Platonis, vel dijs Epicuri monogrammis, qui neque ipsi habent negotium, neque alijs exhibent? Aut quis una tantum voce immutata, illud merito non usurpet, quod a Cicerone de Epicuro ipso dictum est<sup>233</sup>? «Ita cum attulisset nullam causam, qua istam Pronoeam efficeret, tamen aliquid sibi dicere videtur, cum id dicat, quod omnium mentes aspernentur ac respuant». Verum quo meliori fide cum Stoicis agatur, nolo, si quae ab eorum adversarijs petulantius in Pronoeam illam jactata sunt, ea denuo, quasi nullum aliud argumentum mihi suppeteret, in medium revocare, aut quatuor rationibus uti, quibus violentum illud Stoicorum fatum a modesto pioque

[275]

<sup>231</sup> Marginalia: Lib. 7. contra Mathem.

<sup>232</sup> Nella prima edizione della *Quaestio de fato* (1639) si legge *Annum* invece di *Anum*.

<sup>233</sup> Marginalia: Libr. de Fato sub fin.

Lipsius abjunxit<sup>234</sup>; quia nimirum plus ex ea crambe recocta taedij quam voluptatis in legentium animos proveniret; sed trita philosophorum via incedam, adversus ignavam illorum rationem<sup>235</sup>, «cui si pareamus», ut inquit Cicero, «nihil est omnino quod agamus in vita». Cum igitur Seneca<sup>236</sup>, cuius auctoritate Stoicorum porticus etiamnum hodie potissimum sustentatur, fatum definierit, rerum omnium, actionumque necessitatem, quam nulla vis rumpere potest; Chrysippus autem in libro περί προφοίας quarto illud esse dixerit sempiternam quandam et indeclinabilem seriem rerum et catenam volventem semet ipsa sese, atque implicantem per aeternos consequentiae ordines ex quibus apta connexaque est. Unde multi fatum quod είμαρμένη dicitur, ἀπό τοῦ ἐρμοῦ, hoc est, a serie, nomen accepisse tradiderunt, quia scilicet, ut canit poëta stellatus constat<sup>237</sup>,

*Esse aliquid primum a quo maximus ordo  
Causarum incipiat qui a summo tendit ad imum.*

[276]

Nec vero idem Chrysippus in tribus alijs fati definitionibus, quae a Plutarcho referuntur<sup>238</sup>, quicquam ab istis superioribus diversum sentiat. Eam ob rem, quemadmodum inquit Aulus Gellius<sup>239</sup>, aliarum opinionum disciplinarumque auctores his definitionibus ita obstrepunt, «si Chrysippus fato putat omnia moveri, et regi, nec declinari, transcendique posse agmina fati, et volumina: percata quoque hominum, et delicta, non sustentanda neque inducenda sunt ipsis, voluntatibusque eorum, sed necessitatibus cuidam et substantiae, quae oritur ex fato omniumque sit rerum Domina, et Arbitra, per quam necesse sit fieri quicquid futurum est, et propterea nocentium poenas legibus inique constitutas, si homines ad maleficia non sponte venerunt, sed fato trahuntur». Quibus objectionibus licet apud eundem Agellium respondere Chrysippus multis conatus sit, non potuit tamen adeo se distinctionibus suis munire, quin quaestio illa obscurissima et implicatissima remanserit, etiam Ciceronis judicio, qui ab ea Chrysippum

[277]

quoque Philosophum non se expedisse, his verbis testatus est. «Chrysippus aestuans, laboransque, quoniam pacto explicet, et fato omnia fieri et esse aliquid in nobis intricatur». Quamquam et ipsi Tullio, qui contrariam omnino Stoicis sententiam tutari consuevit, non magis cum Christianae, quam com doctrinae Stoicae professoribus conveniat. Si quidem aequo peccant Ciceroniani, dum providentiam divinam circa actiones humanas e medio sustulerunt, ut sua voluntati humanae libertas asseratur; ac Stoici, qui providentiam concedentes, mentem hominis voluntate libera spoliatam, fato devinciunt. Voluntas enim ita affecta est ad intellectum etiam divinum, ut Rex ad consiliarios, qui honesta quidem consulunt, eaque tantum suadent quae sunt virtuti et rationi consentanea. Sed voluntati tamen liberum est bene monentibus non parere. Imperant enim volenti, ut Rex, non invito, ut Tyrannus: admonentque, suadent, incitant, non vero cogunt, aut necessitant. Et sane quod ad intellectum divinum

[278]

num spectat, non est quod aliquis vereatur, ne aliquando sua in cognitione vacillet, posita ejusmodi voluntatis libertate, quoniam eodem prorsus modo res omnes cognoscit, quo sunt, aut fieri possunt, possibles nempe, ut possibles, et quae hoc aut alio modo evenire possunt,

<sup>234</sup> Marginalia: Lib. 1. de costant. cap. 20.

<sup>235</sup> Marginalia: Lib. de fato.

<sup>236</sup> Marginalia: In quaest. natural.

<sup>237</sup> Marginalia: In Scorpione.

<sup>238</sup> Marginalia: 1. de placit. cap. 28.

<sup>239</sup> Marginalia: Libro 6. cap. 2.

quatenus minime sunt ad hunc aut alium modum, determinatae: neque interim haec differentia indicat, mutationem in Deo aliquam reperiri, quia semper cognoscit rem possibilem: multoque minus concludit, Dei scientiam non fore rectam, determinatamve, quoniam, ut bene advertit Simon Portius<sup>240</sup> apud Philosophos, res eo modo cognoscuntur, quo fiunt, et existunt; aut denique scientiam Dei non esse causam rerum, contra quam Aristoteles in duodecimo primae Philosophiae docuit, quia si Deus in Aristotelis schola res cognoscit, debet profecto illas eo modo quo sunt ac fiunt cognoscere, hoc est, in universali, et quatenus a motu suo, mediisque corporibus proveniunt; quo

[279]

sensu nemo, ut opinor, inficias unquam iuverit, Dei scientiam causam esse rerum. Sed omissis ejusmodi difficultatibus, quae pleniora habent in Theologorum scholis explicationem, simulque rationibus, quae ab Alexandro Aphrodisaeo, in eo libro, quem de Fato conscripsit, adversus Stoicorum praesertim Fatum, magna argumentorum serie proferuntur, quorum sane unumquodque ejus est praestantiae, atque dignitatis, ut, etiam si nullum aliud in hanc rem allatum esset, fati tamen ratio apud homines, qui sola ratione ducuntur, constare satis non possit. Dicam hic quod Seneca<sup>241</sup>, «permitte mihi illam rigidam sectam tueri eorum, qui excipiunt ista, et nihil aliud esse existimant, quam aegrae mentis solatia». Et ad Peripateticum seu Aristotelicum fatum me convertam, quod jam antea solum dumtaxat atque legitimum esse ostendimus, ut ex eo scilicet innotescat quid de fatali vitae termino consequenter statuendum sit.

29. Et certe quemadmodum idem

[280]

Seneca dicebat, quod «sui juris rerum natura est, nec ad leges humanas componitur, modo properat, modo vota praecurrit, modo lenta est, et demoratur»: ita nos de vita humana dicere non immerito possumus, quod ea non ad fatorum leges componitur, ut certis statisque periodis occidat: sed partim ab externis causis dependet, quae violentam plerumque mortem inferunt: partim etiam ab internis, quarum symmetria ut tuendae conservandaeque valetudini peropportuna est, sic ametria humanam oeconomiam penitus corruptit et labefactat. Illud quippe discrimin videtur Aristoteles<sup>242</sup> inter utriusque mortis genus constituisse, quod «mors violenta sit, quando principium corruptionis extra fuerit; secundum naturam autem, quando est in ipso animali». Unde cum ex fundamentis, quae jacta in praecedenti sermone fuerunt, fatum in Aristotelis doctrina non ab eo sit diversum, quod naturale est: recte propterea concludere possumus, quod fato quidem homines mori possunt; sed non mathematicorum

[281]

coelesti; non Stoicorum fatuo, non Platonicorum divino, aut Epicureorum incerto, verum eo dumtaxat, quod nobis ex communi illa moriendi necessitate inditum est, quam sensim inferunt partium nostri corporis sanitas; continua, substantiae, liquorisque vivifici, ἐμφύτου θερμοῦ, pabulum et dissipatio; et exrementorum proventus: quemadmodum a Galeno in primo de sanitate conservanda demonstratum est. Atque eo modo explicandum esse celebratum hunc ab omnibus, qui de fato scripserunt, Maronis versum<sup>243</sup>.

*Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,  
Sed misera ante diem.*

<sup>240</sup> Marginalia: Cap. ult. lib. 2. de. rer. princ.

<sup>241</sup> Marginalia: Secund. natural. quest. cap. 25.

<sup>242</sup> Marginalia: Lib. de vita et mort.

<sup>243</sup> Marginalia: Aeneid. 4.

Tam constans est eorum omnium sententia, quibus exploratum est, quid Aristoteles ipse de fato censeat, ut, cum in eo convenienter non solum Virgilij interpretes, Donatus et Lacerda, sed etiam philosophi prope omnes, qui attentius in rem ipsam adverterunt, ut Riolanus, Syrenius, Gianinus, et

[282]

mille alij, tum vero non repugnet etiam Pomponatius, hostis alioqui juratus Peripateticae libertatis, quam Stoicorum necessitati subdere nescio quibus de causis non veritus est. Sic igitur Tullius in prima Antonianarum<sup>244</sup>, quasi Virgilij sententiam in mente habuisse, dixit: «multa autem impendere videntur praeter naturam praeterque fatum». Sic Plinius junior in ea epistola, in qua Corelij Ruffi voluntarium obitum propter longam et intolerandam pedum aegritudinem deflet, imitatione quadam utriusque locutus est in haec verba: «Decessit Corellius Ruffus, et quidem sponte, quod dolorem meum exulcerat, est enim luctuosissimum genus mortis, quae non ex natura, nec fatalis videtur, nam utcumque in illis, qui morbo finiuntur, magnum ex ipsa necessitate solatium est, in ijs vero, quos accersita mors aufert, sic insanabilis dolor est, quod credantur potuisse diu vivere». Quinimo Ovidius tam manifeste duas illas mortis, violentae, scilicet, et naturalis, differentias constituit, ut de Virgilio dubitare quin eadem

[283]

mens ejus fuerit, sit omnino a ratione alienum. Ovidij autem versus sunt<sup>245</sup>:

*Est aliquid, fatoque suo, ferrove cadentem,*

*Insolita moriens ponere corpus humo.*

Hinc Velleio Paterculo «fatali morte ex tingui» et Tibullo, «fatales annos explevisse», est, naturali morte cadere. Quod Vopiscus cum animadverteret eandem vocis illius proprietatem retinuit, dum Probi Imperatoris mortem, quam Romanus ei miles in paludum exsiccatione plus nimio fatigans subito furore intulit, his verbis refert, «quare addam illud, quod praecipue tanto viro fatalem properavit necessitatem». Denique faciunt etiam pro hac explicatione ipsem Aristoteles et Plato<sup>246</sup>. Quorum hic<sup>247</sup>, «Dolorifica, inquit, et violenta mors est, quae accidit ex morbis, et vulneribus. Secundum naturam, quae in senectute ad finem venit». Ille vero de hoc mortis discrimine, paucis ita transigit, et eodem ferme modo, quem supra ex libro de morte et vita retulimus, θάνατος δ' ἔστιν ὁ μὲν βίαιος, ὁ δέ κατά φύσιν, id est «mors autem

[284]

aut est violenta, aut secundum naturam». Et sane adderem quoque his duobus viris pari cum illis facundia praeditum Demosthenem, quem Agellius<sup>248</sup>, et quidam eum secuti contendunt nihil aliud intellexisse per τήν πεπρωμένην καὶ τόν ἀντόματον θάνατον, «quam fatalem hunc et naturalem vitae terminum», de quo nobis in praesentia sermo est; nisi Iacobus Grutherius praefracte contenderet, falsos in ea re fuisse cum Agellio nonnullos Demosthenis interpretes, qui «violentum potius et temerarium interitum» reddere debuissent, quo scilicet mortis genere Decij, Brutus, Cato et veterum permulti, fama apud posteros meliori celebrantur<sup>249</sup>. Enimvero cum haec celebrium auctorum testimonia mirifice Virgilij mentem illustrent, eamque non aliam fuisse, quam ut a nobis supra dictum est, satis superque testentur, tum

<sup>244</sup> Marginalia: 12. lib. 1.

<sup>245</sup> Marginalia: Eleg. 3. lib. 1.

<sup>246</sup> Marginalia: In Timaeo.

<sup>247</sup> Marginalia: In lib. de Repub.

<sup>248</sup> Marginalia: Lib. 13. cap. 2.

<sup>249</sup> Marginalia: In Orat. de corona. Lib 1. de jure man. cap. 3.

praesertim ad istud comprobandum faciunt in primis haec Agelli verba<sup>250</sup>, «illud tamen non praetermittendum est, quod Virgilius quoque id ipsum, quod Cicero, de fato opinatus est [285]

cum in hoc quarto libro dixit de Elisa, quo mortem per vim potita est,

*Nam quiae nec fato, merita nec morte peribat:*

tanquam in faciendo fine vitae, quae violenta sunt, non videantur a fato venire». Et certe Virgilius, qui, Christophoro Landino teste<sup>251</sup>, paeclare fuit in Philosophorum omnium sectis versatus, earumque placita saepius in divinae suae Aeneidis ornatum transtulit cum in decimo libro ex Stoicorum sententia dixisset,

*Stat sua cuique dies, breve et irreparabile tempus,*

*Omnibus est vitae;*

eandem alibi occasionem<sup>252</sup> nactus de vitae termino dicendi, Peripateticum agere voluit; cum sub persona Didonis ita adversus Aeneam concitatae,

*Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena;*

tum vero dum ipsem de eadem Didone loquitur, vulnerata jam et cum morte luctante: proptereaque Servius argute in huius loci explicatione «Non

[286]

est contrarium», inquit, «quod dixit in decimo, Stat sua cuique dies; nam, ut saepe diximus, secundum sectas loquitur». Quod ne, semel tantum ab ipso factum fuisse, quis sibi persuadeat, en quomodo in Georgicis fatum ex Aristotelis opinione pro natura cujusque animalis sumit,

*Haud equidem credo, quia sit divinitus illis*

*Ingenium, aut rerum fato prudentia major<sup>253</sup>.*

Scilicet illis ingenium divinitus concedi voluit in praesensione futurorum, aut majorem inesse prudentiam ea, quae conveniret ipsorum naturae, quam «Fatum» appellavit. Unde cum absurdum videretur, animantes brutas hominibus praestare in reconditorum eventuum praenotione, quod tamen multi falso putabant, idcirco decernit, aves ipsas, de quibus illi sermo tunc erat, ex aëris qualitate dumtaxat moveri, et concentus suos edere. At vero ne longius a proposito, divagemur, si quot modis fatum a Virgilio usurpatum fuerit inquirere velimus, certum est, eum cum de Didonis morte loqueretur

[287]

duplicem vitae terminum statuisse: «Naturalem» unum: quem ex Aristotelis doctrina «Fatalem» vocat, quoniam, ut in quinto Physicorum generationes dicuntur fatales, quae more naturae consueto fiunt, haud secus mors, quae, ut inquit Princeps medicus<sup>254</sup>, «unicuique individuo destinata est, ratione primae complexionis, quam suapte vi continet ad intimam humectationem conservandam», fatalis dici possit. Alterum vero «ante diem» evenire dixit, et «violentum» esse, quia praeter naturam est, tanquam ambustio respectu putrefactionis; cum scilicet hominem «fulmen Iovis occidit», quemadmodum in Festo legendum putavit Scaliger; aut eumdem sicarius jugulat; vel praetor pendere ex infelici arbore jubet; ac uno verbo quoties is casus mortem alicui infert, qui ritu ipso funeris a fatali et naturali morte antiquitus distinguebatur; nam quo tempore Pontificum leges invaluerunt, si quis naturae jus persolverat, et jam multo senio confectus decesserat e vivis, receptis de more funerum legibus

<sup>250</sup> Marginalia: Loco laudato.

<sup>251</sup> Marginalia: In disput. Camold.

<sup>252</sup> Marginalia: Lib. 4.

<sup>253</sup> Marginalia: 4. Georgic.

<sup>254</sup> Marginalia: 1. Can.

[288]

efferebatur, cum interim βιατοθάνατοι, qui «tumultuoso mortis genere», ut inquit Apuleius<sup>255</sup>, aut «foedo et informi exitu», quemadmodum Livius<sup>256</sup> et Tacitus<sup>257</sup> locuti sunt, vel denique ferro, aut laqueo, praecipite corporis jactatione, vitam finierant, omnesque violenter extincti, legibus alijs, religioneque prorsus diversa, continerentur. Unde nihil frequentius est in veterum libris<sup>258</sup>, quam «homicidam sui insepultum abijcito; Homo si fulmine occisus est, ei justa nulla fieri oportet». Et ejusmodi leges aliae quibus mors fatalis a violenta in ritualibus libris distinguebatur. Caeterum quod Virgilius perire «ante diem» dixit, hoc idem Aristoteles in quaestonibus encyclis, quae tamen sub problematum nomine magis innotuerunt<sup>259</sup>, dum rationem assignat, cur morbi acuti ex orgasmo et redundantia bilis concitati, hyeme, quam aestate periculosiores sint παρά φύσιν appellat, id est, «praeter naturam». Et Hesychius πρὸ μοίρας, «ante fatum». Ac Sophocles<sup>260</sup> denique, cum id ipsum exprimere vellet, his vocibus usus est, τοῦ χρόνου

[289]

πρόσθεν θανοῦμαι, id est, «obeo ante tempus». Neque vero praetermittere hoc loco possum, quod cum alienum a praesenti tractatione non sit, tum vero plurimum in se habet elegantis doctrinae et voluptatis, nimirum, voce unica, quae πρόμοιρος est, eum significari ab optimis auctoribus, qui «immatura morte obit»; quamquam si violentia aliqua fatum properaverit, tunc βιατοθάνατος rectius usurpetur, aut, quemadmodum Tertullianus<sup>261</sup>, nominis illius derivationem secutus, quae sit a βιατῶς, adverbio graeco, quod «violenter» significat, et nomine θάνατος, latine reddit «biaethanatus», ut in libro de anima sub hanc verborum formam videre est. «Itaque invocantur quidam Alori et Biaeothanati, sub illo fidei argumento, quod credibile videatur, eas potissimum animas ad vim et injuriam facere, quas per vim, et injuriam, saevus et immaturus finis extorsit, quasi ad vicem offensae daemones operentur sub ostentu earum». Siquidem manifestum est, vocis hujus significationem longe melius intellectam fuisse Tertulliano

[290]

quam Iulio Firmico<sup>262</sup> aut Aelio Lampridio<sup>263</sup> vel Tortelio Aretino<sup>264</sup>, nonnullisque; auctoribus alijs, qui «Biothanatum» dixerunt non omnino satis convenienter, sed minus vitiose tamen quam illi, qui vocem hanc tot modis invertunt, atque depravant, ut intelligi nisi forsitan ab Oedipo aliquo non possit. Verum cum nihil huc usque in Virgilij sententia turbatum sit, et Coelius Rhodiginus<sup>265</sup>, Boccatius<sup>266</sup>, Bassadona<sup>267</sup>, Gallutius<sup>268</sup>, omnesque Virgilij scholiastae, videantur in hoc cum superioribus a me laudatis auctoribus esse concordes, quod is «fato et debita morte» non dicatur, qui resoluta corporis temperie naturali occubuit; ita ut quod in illo versu secundo loco positum est, ejus, quod in priori dictum fuit, expositioni

<sup>255</sup> Marginalia: In Metamorph.

<sup>256</sup> Marginalia: Lib. 42.

<sup>257</sup> Marginalia: 6. Annal.

<sup>258</sup> Marginalia: Senec. controv. 4. Fest. in verbo Occisum. Sect. I. quaest. 6.

<sup>259</sup> Marginalia: Sect. I. quaest. 6.

<sup>260</sup> Marginalia: In Antigon.

<sup>261</sup> Marginalia: Cap. 33. sub fin.

<sup>262</sup> Marginalia: In Astrol.

<sup>263</sup> Marginalia: In Heliogabal.

<sup>264</sup> Marginalia: In ortograph.

<sup>265</sup> Marginalia: Libr. 11. cap. 35.

<sup>266</sup> Marginalia: Lib. 1 genealog. cap. 22.

<sup>267</sup> Marginalia: Dial. 4.

<sup>268</sup> Marginalia: Libr. 10. Aeneid. loco 2.

subserviat; «ante diem» vero mori illis proprie contingat, qui gladio confossi, vel humi praecipitati, aliove casu violento extreum diem clauerint. Video tamen nonnullis aquam haerere ob similem in Tullio locutionem<sup>269</sup> «multa autem impendere videntur praeter naturam etiam,

[291]

praeterque fatum»: de quo cum Agellius<sup>270</sup> dubitet, «an utrumque idem valere Cicero voluerit, fatum, atque naturam, et duas res «ἀνθ' ἐνός υποκειμένου, πεπρωμένην καὶ φύσιν», id est, pro uno subjecto fatum et naturam usurparit; «an vero divisorit, separaritque, ut alios casus natura ferre videatur, alios fatum». Ipsi quoque eandem dubitationem ad Virgilij de Didone versum pertinere voluerunt. Eaque in sententia pertinaciores existunt, quod Servius in ejusdem loci explicatione, tribus quidem humanam omnem vitam contineri docet; «Natura» scilicet, cui ultra centum et viginti solstitiales annos concessum non est diurniore frui luce; «Fato», cui nonaginta anni, hoc est, tres Saturni cursus exitum creant, nisi forsitan aliarum stellarum aspectu benigno longius aliquantis per protendatur; «Fortuna» denique, et «casu», qui ad omnia pertinent, quae extrinsecus accident, ut ad ruinam, incendium, naufragium, venena, vim, fatique diem occupatum. Quae tria cum Virgilius in Elisae morte insuinare

[292]

Vellet, hanc non ad fatum aut naturam retulit, quia «nec fato, merita nec morte peribat», sed ad fortunam, quae violentae mortis causa fuit: unde ipsamet Dido inquit,

*Vixi, et quem dederat cursum fortuna peregi.*

Ac certe quo minus illa mihi sententia probetur, facit auctor incertus de vita Pythagorae, quem e Photij Bibliotheca doctissimus Lucas Haustenius una cum Porphyrij ejusdem argumenti libro nova versione illustratum edendum curavit: quandoquidem hic plane in illa causarum, quibus mundus regitur, explicatione diversus est a Servio, longeque melius, et rerum naturae convenientius, ea de re, quam quisquam aliorum, quos unquam viderim, philosophatus est. Unde non absurdum duxi, verba illius, et expressam in ipsis Pythagorae mentem, quae praecclare fati naturam explicat, in medium adferre. «Sed quae infra Lunam sunt, ea a quatuor causis regi dicunt, scilicet Pythagoraei, Deo, fato nostro, consilio, et fortuna

[293]

verbi gratia, navem ipsam concendere vel non, in nostra est potestate: at tempore sereno, procellas, et tempestatem subito oriri, ex fortuna pendet: navem submersam praeter spem servari, id divina sit providentia. Caeterum fati multi et diversi sunt modi: differt autem a fortuna, quoniam illud seriem, ordinemque, atque sequelam habet, fortuna autem casu temerario contingit: exempli causa, e pueri juvenem evadere, et reliquas deinde aetas ordine transigere, fati modo accedit»: quibus postremis verbis nescio an aliquid haberi in tota antiquitate possit, quod Aristotelis doctrinam de fato magis illustret: prioribus vero certum est eam distinctionem causarum labefactari, quae Servio magnum in explicatione Virgilij momentum obtinere visa fuerat. Sed non minus aberrat a scopo Iacobus Carpentarius<sup>271</sup>, qui locum Ciceronis jam adductum, simul cum hoc Virgiliano in testimonium profert, ut ex illis concludat, dari aliam a communi et vulgata fati significationem, quae eadem cum ipsa natura dici non potest;

[294]

<sup>269</sup> Marginalia: Philip. 1.

<sup>270</sup> Marginalia: Libr. 13. cap. 1.

<sup>271</sup> Marginalia: Digress. II. in Alcin.

quippe quae a divino consilio pendeat, et in Dei partim praescientia, partim providentia posita sit: ut scilicet hoc modo «naturale» esse dicatur, quod pendet ab ordinatis universae communisque naturae principijs: «fatale» vero, quod praeter et supra communes naturae causas, divina voluntate contingit. Ratio autem cur mihi cum Carpentario in hac explicatione non conveniat, ex eodem Aristotelis textu<sup>272</sup> sumitur, quo ille suam sententiam fulcire conatus est: siquidem, cum Aristoteles in primo coelo dixit, ὁ δὲ θεὸς καὶ ἡ φύσις οὐδὲν μάτην ποιοῦσιν, id est, «Deus et Natura nihil prorsus faciunt frustra», tantum abest, ut, quemadmodum Carpentarius inquit, naturae ea tantummodo tribuat quae ordinata sunt, Deo vero, quae praeter naturae ordinem accident, ut natura ipsa, si in individuis tantummodo spectetur, perperam agere in multis deprehendatur; ut in Philelpho, quem τριόρχην fecit, aut in Timarcho Cyprio, cui praeter solitum dentium ordinem, alium insuper, nulli [295]

quod sciam, usui futurum, addiderat. Proptereaque in speciebus, aut pluribus tantum individuis, non autem in omnibus, ordinis sui leges constanter observat. Quemadmodum Beda, cui venerabilis nomen inditum est, recte in hunc Aristotelis textum animadvertisit. Sed videre praeterea Carpentarius potuit, quod nullo modo cum explicatione sua convenient Divi Thomae aliorumque Aristotelis interpretum sententia. Quam etsi compendij causa missam hic facio, non tamen praetermittam dicere, quod Aristoteles, non tam usus est distinctis illis vocibus «Dei» et «Naturae», ut ordinem illum in causis rerum ordinatarum, et earum, quae praeter naturam sunt, servaret, quam ut obviam iret quorundam Philosophorum sermonibus ambiguis, qui Deum, et Naturam, veluti res inter se minime distinctas, usurpabant. Unde, licet magna sit apud me virorum ejusmodi, qui tales in Virgilium explicationes commenti sunt, auctoritas, nihilominus, cum hae non mediocriter a scopo

[296]

veritatjs deflexisse mihi videantur, et, quod rei caput est, Turnebus<sup>273</sup>, magnus ille et insignis criticorum coryphaeus, Marcum Tullium, Coelius autem Rhodiginus<sup>274</sup>, qui variarum et optimarum rerum congestione, maximam Italico nomini eruditio[n]is famam conciliavit, Virgilium nihil «fati» et «naturae» nomine diversum significasse, sed alterius vocabuli additione, prioris vim, et naturam, quae forsan obscurior videri potuisset, explicasse, concludant: propterea mihi ab eorum sententia recedendum esse non existimavi; praesertim, cum longe honestius, et naturae meae, quae prorsus est ab omnibus fabulis et commentis aliena, convenientius sit, in ea maximorum hominum opinione permanere, quam cum levibus ingenij «aegroti veteris meditari somnia», aut cum ijs potius convenire, qui cucurbitas pingere et fumos vendere didicerunt, quam cum Aristotele, et Alexandro, qui res omnes diligenter examinant, neque deliris mulieribus fidem habere solent, in ijs quae

[297]

de fatorum natura tam stulte decernunt quam Socrates, non satis, ut mihi videtur, considerate, virum, qui vero illo nomine dignus esset, earum de hac re sermonibus audientem esse voluit, «καὶ πιστέυσαντα ταῖς γυναιξὶν, ὅτι τήν εἰμαρμένην οὐδέ ἄν εἰς φύγοι»<sup>275</sup>.

30. Neque tamen vellem, ut mea haec perpetua constansque voluntas, singula quaeque ad Critolai lancem examinandi, quibusdam male feriatis hominibus suspicionem iniijceret, me plus meo sensui tribuere, quam reliquorum hominum opinionibus, quae plurimum huc usque

<sup>272</sup> Marginalia: Text. 32.

<sup>273</sup> Marginalia: Libro 13. advers. cap. 8.

<sup>274</sup> Marginalia: Lib.II. cap. 38.

<sup>275</sup> Marginalia: In Gorg.

sapientes inter et plebeios invaluerunt. Quandoquidem, sicut in Philosophicis rebus, quae libertatem faciunt, de illis, prout unicuique videtur, pronunciandi

*mihi flectere mentem*

*Sola solet ratio; ratio dux fida bonorum<sup>276</sup>.*

Et Peripateticorum ἀκρίβετα, quae profecto singularis, et admiranda est, totum me cepit, abduxitque a Platonicorum et Stoicorum sectis, quae plurimum faecis et lutulentae commixtionis

[298]

fabularum populariumque narrationum admixtum trahunt. Ita, quoties postulat obsequium, quod Theologis debemus, ut eorum de vitae termino placitis subscribam, tam lubenter istud faciam, quam Nicolaus Florentinus<sup>277</sup>, Conciliator<sup>278</sup>, Ioubertus<sup>279</sup>, aliqui praestantes medici, ante me fecerunt. Ex quorum opinione triplex ille vitae terminus statui potest, «metaphysicus», scilicet, sive divinus, «physicus», et «accidentarius»; ita tamen, ut «metaphysicus», a sola Dei voluntate pendeat, cum nimirum mortem in peccati, quod primus parens commisit, poenam statuit, aut Ezechiae verbi gratia<sup>280</sup> aetatem producit in quindecim annos sequentes et e diverso percutit omne primogenitum Aegypti in una nocte<sup>281</sup>; «physicus» vero, qui et idem naturalis dici potest, eo usque perduret, quo naturalis calor, et humidum primigenium, sub debita quantitate in corpore persistunt. Quandoquidem uno illorum, aut ambobus simul concidentibus, deficiunt etiam homines, extinguunturque, morte ut

[299]

vocant naturali. Qualem sibi ac suis precari solitum fuisse Augustum Caesarem, memoriae a Svetonio consignatum est. «Sortitus, inquit, erat facilem exitum, qualem semper optaverat; nam fere quoties audisset, cito ac nullo cruciatu defungi quempiam, sibi et suis ἐνθανασίαι similem precabatur». Etenim qui longa jam aetate, viribus simul, et humido primigenio, quod a calore naturali sensim consumitur, exhausti abeunt e vita, nullum in morte dolorem percipiunt, quia naturaliter illa et sensim advenit; dolor autem ἀθρώως, καὶ λάβρως, «affatim, et subito», ingruit. Quamquam ad hunc etiam terminum referri debet morbus, qui propterea vocatur a Dureto μοίρα βίου, hoc est, «fatum vitae», quia homo, licet emendatissimum sit, melioris naturae opificium, ac veluti caeterarum canon; a supplicijs tamen, ut notavit Plinius, vitam exorditur, et innumeris morborum, tanquam hostium credelissimorum, copijs continenter patet: imo si credimus Hippocrati in Epistola ad Damagetum<sup>282</sup>, «ὅλος

[300]

ἄνθρωπος ἐκ γενετῆς νοῦσός ἔστι, totus homo a nativitate morbus est». Cujus rei causa est operosior in illo, quam in animalibus caeteris, organorum apparatus, unde sanguis qui in eo elaboratissimus est, facilime corrumpitur, et semen cum regi a natura et conservari amplius non potest, citissime in venenum degenerat. Pari modo caput, quod in homine amplum esse oportuit ad animalium functionum operationem; et erectum ad corporis speciem, ac majestatem: eadem ratione factum est μητρόπολις τοῦ ὑγροῦ, καὶ ψυχροῦ, e qua innumerae fluxiones et obstructions scaturiunt, non item caeteris animalibus, atque homini, molestae.

<sup>276</sup> Marginalia: Poëta stellat.

<sup>277</sup> Marginalia: In Serm.

<sup>278</sup> Marginalia: In different. medicis.

<sup>279</sup> Marginalia: In erroribus popular.

<sup>280</sup> Marginalia: 2. reg. cap. 20.

<sup>281</sup> Marginalia: Exod. 12.

<sup>282</sup> Marginalia: Prooem. lib. 7.

Ut interim omittam reliqua incommoda, quae veluti per sequelam agnata esse, rarae tenuique ossium capitis texturae, praeclaris rationibus demonstrarunt Plato in Timaeo, et Chrysippus apud Agellium<sup>283</sup>, ubi, inter alia, haec habet, adeo sermoni nostro convenientia, ut cum αἰτιολογίαν medicam plurimum quoque illustrare possint, peccatum sit, non paulo

[301]

diutius in his consistere: «Aestimat autem Chrisyppus, non fuisse hoc principale naturae consilium, ut faceret homines morbis<sup>284</sup> obnoxios. Nunquam hoc convenisse naturae auctori, parentique rerum omnium. Sed cum multa, inquit, atque magna gigneret, pareretque aptissima, et utilissima alia quoque simul agnate sunt incommoda, ijs ipsis, quae faciebat, cohaerentia, eaque non per naturam, sed per sequelas quasdam necessarias facta dicit, quod ipse appellat, κατά παρακολούθησιν, sicut inquit; cum corpora hominum natura fingeret ratio subtilior, et utilitas ipsa operis postulavit, ut tenuissimis minutisque ossiculis caput compingeret; sed hanc utilitatem rei majoris alia quaedam incommoditas extrinsecus consecuta est, ut fieret caput tenuiter munitum<sup>285</sup>, et ictibus offensionibusque fragile, proinde morbi quoque et aegritudines partae sunt, dum salus paritur». Denique summum vitium tam finitimum est summae integritati, ut homo, qui caeteris animalibus perfectiorem laudabilioremque a natura temperiem obtinuit, eo etiam facilius pateat morborum

[302]

omnium causis, sive illae privatae et domesticae sint, ob diversa elementa, quae difficile est unita simul atque contemperata diutissime permanere, ex divini senis effato: quod sane video, peropportune etiam a Niceta Choniata, initio prooemij librorum suorum orthodoxae fidei adversus temporis sui haereses, translatum fuisse<sup>286</sup>; «Ego autem dico, si unum esset homo, nunquam doleret: neque enim esset unde doloret, ubi unum tantum foret». Sive denique causae morborum ejusmodi externae sint, et ex earum genere quae necessario corpus nostrum immutant, ut aér, cibus, potus, somnus, vigilia, motus, quies, et aliae res commonuter a Medicis non naturales appellatae, quarum cognitione, et usu moderato sanitatis tuendae Methodus tota quasi certis limitibus coërcetur, ut recte Galenus in arte parva<sup>287</sup>, et medici omnes cum illo concedunt. Ad easdemque pertinere existimo Cornelij Galli de vitae incommodis querelam;

*Iam poena est totum quod vivimus, urimur aestu,*

[303]

*Officiunt nebulae, frigus, et aura nocet.*

*Res laedit, medioque etiam corrumpitur imbre,*

*Veris et Autumni laedit amoena dies.*

Nam alioqui ad «Accidentalem» vitae terminum, de quo nobis hoc loco dicendum restat, referrem ego libentius causas omnes externas, quae non ex necessitate, sed fortuito potius, cotinenterque corpus nostrum immutant, adeoque vitari quodammodo possunt, si operam in hoc homines sedulam impenderint, ut minime ab illis affiantur. Hoc est; ne se hostilibus gladijs obijciant; ne irato tempestuosoque Mari personas suas committant; nec infecta sicarijs et latronibus loca perambulent; ne venenosos serpentum ictus; dirosque belluarum impetus excipiant; ne cum aegrotis, laborantibusque ijs morbis, qui facile virus suum in sanos transmittunt, versentur; ne loca inhabitent quae Galenus<sup>288</sup> Χαρωνείους βαράθροις

<sup>283</sup> Marginalia: Libr. 6. cap. 1.

<sup>284</sup> Nel testo *morti*, ma bisogna leggere *morbis* come nel testo di Aulo Gellio (*Notti attiche*, VII 1, 8-12).

<sup>285</sup> Nel testo *minutum*, ma bisogna leggere *munitum* come nel testo di Aulo Gellio (*Notti attiche*, VII 1, 8-12).

<sup>286</sup> Marginalia: Libr. de Natur. hum.

<sup>287</sup> Marginalia: Cap. 8.

<sup>288</sup> Marginalia: Comment. 1. lib. 1. Epidem. Libr. 2. cap. 43.

nominat, Plinius vero «Charoneas scobes mortiferum spiritum exhalantes»; quoniam, ut inquit Lucretius,

*ea cum casu sunt forte coorta,*

[304]

*Et perturbarunt coelum, sit turbidus aër;*

denique ut omnia declinent sedulo, quae vulnerant, divellunt contundunt, lacerant, pungunt, inficiunt, et similia nocumenta, quae, ut merito Plinius conqueritur<sup>289</sup>, «Hercule plurima, homini ex homine sunt», inferunt, aut eidem tam mire plerumque et inopinatis casibus, accidunt, ut vel Medicorum judicio, ars de ipsis constitui nulla possit.

31. Ex quibus satis, ut mea quidem fert sententia, constare potest, quod extremus vitae terminus, si in communi hominum specie consideretur, certus quidem est, et fatalis etiam, sive naturae consentaneus, quoniam, ut sapienter ab Horatio dictum est, «oculus, tardius, omnium movetur urna», eademque nascendi et denascendi lege tenemur. Si vero in singulis individuis; minime praefixus sit, sed tam incertus existat, quam revera ineluctabilis est. Unicus enim ad vitam ingressus cum sit, exitus tamen e vita multiplex esse potest, nec eodem modo vel tempore determinatus. Unde, si ab *justicia divina*

[305]

imminet, praesidium ab vitae morumque innocentia adversus caelestes minas petendeum est. Si *fortuna*, rerumque humanarum volubiles causae, violentum accelerare satagunt, pericula ejusmodi, quantum artibus prudentiae fieri potest, declinanda sunt. Si denique *natura* exsucca, praeceps, tardigrada, sanguine cassa, se ipsam regere amplius ob inclinantem aetatem non potest, sed vivifico suo nectare spoliata, fatiscit sponte, aut ex vitiata hominum ἐνμετρίᾳ, laxataque membrorum compage, atque alijs de causis<sup>290</sup>,

*Circumsistit agmine facto*

*Morborum omne genus, quorum si nomina quaeras,*

*Promptius expediam, quot amaverit Hippia moechos.*

Tunc ad ιατρῶν παῖδας recurrentum est, quorum omnis in eo praesertim verti debet industria, ut sacrum illud vitae nostrae pignus, calorem, scilicet, nativum, de quo Livianum istud usurpari haud injuria posset<sup>291</sup>, «plus omnibus, aut nunciatis peregre, aut visis domi prodigijs

[306]

terruit animos hominum, ignis in aede Vestae extinctus», exquisitis, solemnibusque remedijs conservare, aut ingruentes, diffusosque, tanquam ex Pandorae pyxide, morbos profligare convenientibus auxilijs possint. Etenim si dare vitam proprium Dei munus est, non fati; certe datam tueri, jamque fugientem retinere Medici, qui in hoc operis a Deo ordinatus est; nequaquam vero fati istud erit officium. Ex eoque Galenus<sup>292</sup> non temere gloriabatur, se ijs, qui prius assiduis premebantur morbis, ea sanitatis praeepta tradidisse, quibus cum paruisserent, prorsus morbi expertes multis annis permanserunt. Quinimo illud etiam spondere audebat, ne bubone quidem laboratos eos, qui sanitatis tuendae praeepta servaverint. Quod exemplo suo postmodum confirmat. «Percussus, inquit, certis corporis partibus, unde alij inflammationibus, bubonibusque contractis febricitarunt, nunquam phlegmonem bubonemve sensi, nec febre laboravi, non aliunde certe, quam ex servanda sanitatis

[307]

<sup>289</sup> Marginalia: Prooem. lib. 7.

<sup>290</sup> Marginalia: Juven. Satyr. 10.

<sup>291</sup> Marginalia: Lib. 28.

<sup>292</sup> Marginalia: 5. de tuend. sanit.

arte, tanta commoda consecutus, cum alioqui nec salubrem corporis statum ab ortu ipso sim nactus, nec vitam plane liberam sortitus».

32. Verum cum medicina recte ab eodem Galeno definita fuerit, in eo eleganti libello quo diligenter examinat, num sanitatis tuendae ratio magis ad Medicum, quam ad Gymnastam pertineat, *Ars tuenda et restituendae salutis humanae*. Et jam exemplis confirmatum sit, quanta sit in tuenda sanitatem medicinae vis, atque potestas: consequens est, ut non minorem esse in profligandis morbis, hominibusque, si fas ita loqui, ab Erebi faucibus revocandis, praestantiam ostendam. Qua in re cum feliciter ante me multi versati sint<sup>293</sup>, ac inter alios celeberrimus Parisiensis Academiae Medicus Renatus Moraeus, tuque, Beverovici<sup>294</sup>, praeclarum, ex illustri quorundam exemplorum collectione, laudem tuleritis, in ipsis duntaxat immorabor, quae de Aesculapio referuntur. Cujus ea fuit medendi peritia, ut deploratos homines,

[308]

conclamat, in pristinam sanitatem reduceret. Unde vatibus, qui omnia fingunt, et exaggerant, eadem occasio percommoda visa est, ut hunc, quasi mortuis hominibus vitam restituisset carminibus suis, tanquam Deum, aut divinos honores promeritum, celebrarent. Quemadmodum, ut alios omittam, fecit Gordiani Imperatoris praeceptor, nec minus in arte medica quam in metrica, versatus Quintus Serenus<sup>295</sup>:

*Tuque potens artis, reduces qui tradere vias  
Nosti, atque in coelum manes revocare sepultos,  
Qui colis Aegeas, qui Pergama, quique Epidaurum.*

At certe, cum diligentius in fabulas, quae de Aesculapio feruntur, inquirerem; tres ex pluribus apud Auctores nomine designatos inveni, quos diverso genere mortis extinctos, ipse rursum vitalibus auris restituit. Androgeam, videlicet, Minois filium, de quo Propertius<sup>296</sup>:

*Et Deus extinctum Crebis Epidaurius herbis*

[309]

*Restituit patrijs Androgeona focus.*

Tyndaridem, cuius casum narrat Plinius in nono et vigesimo libro historiae naturalis, ubi<sup>297</sup> «ictum fulmine Aesculapium refert, quoniam» Tyndaridem revocasset ad vitam, et Hippolytum, quem in causa fuisse, ut Aesculapius de coelo percussus interierit, non vero Tyndaridem, auctores sunt Pausanias in Corinthiacis<sup>298</sup> et Virgilius in his versibus septimae Aeneidos:

*Tum Pater omnipotens aliquem indignatus ab umbris  
Mortalem infernis ad lumina surgere vitae,  
Ipse repertorem Medicinae talis, et artis,  
Fulmine Phoebigenam Stygias detrusit ad undas.*

Quamquam D. Cyrillus<sup>299</sup> citra fabularum involucra, rectius existimare videtur, Aesculapium fulmine apud Epidauros ictum cecidisse, quod artis suaे peritia confisus, divinos honores, quemadmodum postea fecit Menedemus, affectabat, eoque «insanientis sapientiae» venerat, ut se mortuos ab orco

[310]

<sup>293</sup> Marginalia: Comment. in schol. Salernit. animad.

<sup>294</sup> Marginalia: In Epist. 1. de vita term.

<sup>295</sup> Marginalia: In prooe. lib. de medicin.

<sup>296</sup> Marginalia: Lib. 2. Eleg. 1.

<sup>297</sup> Marginalia: Cap. 1.

<sup>298</sup> Marginalia: Lib. 2.

<sup>299</sup> Marginalia: Lib. 6. adversus. Iulian.

revocare posse imaginaretur. Sed quid opus est fictis de Aesculapio fabulis ostendere, quam liber sit a Fatorum lege hominum interitus, si Iapyx ille Virgilianus, licet ab Apolline ad augurium cytharamque, et cognatas artes, invitaretur, nihilominus

*Scire potestates herbarum usumque medendi*

*Maluit, et mutas agitare ingloriosus artes<sup>300</sup>.*

non certe aliam ob causam, nisi ut

*Depositum proferret fata parentis.*

33. Hoc autem fieri nullo negotio potuisse, et etiamnum quotidie praestari a medicis cum Petrus Aponensis, cui a conciliatis inter se repugnantibus in arte medica sententijs Conciliatoris nomen inditum est, certissimis rationibus probasset. Hinc Marsilius Ficinus audaciam sumpsit, quantumvis esset Platonicorum commentis addictus, subsannandi facete quaecumque de Parcis in antiquorum Theologia dicebantur, et alias multo magis rationi consentaneas earum loco sufficiendi<sup>301</sup>. «Tres Parcas, inquit, fere omnes poëtae canunt, tres quoque nos non Poëtae

[311]

canimus. Prudens quidem in omni victu parcitas vitam nobis longam inchoat; constans quoque in curis<sup>302</sup> subeundis parcitas, producit vitam: parcitas vero in coelo, id est, aëre libero fruendo negligens, vitam occat». Et cum antea dixisset, «Tria nobis ad servandam juventutem pater ille liber, qui amat colles, Bacchus, affert; apricos, primum quidem colles; in his autem collibus suavissimum praecipue vinum; et perpetuam in vino securitatem. Tria quoque Phoebus Bacchi frater pari benignitate largitur; divinum primo lumen; sub fomento luminis herbas suaviter redolentes; ad luminis huius umbram, cytharam, cantumque perennem»: demum vero, quasi nullam homini, nisi ab eiusmodi rebus ennumeratis, impendere perniciem, aut salutem, concludere vellet haec pro corollario subiungit: «His ergo pensis potissimum, his staminibus; Clotho nobis, iam non parca, longae vitae fata producet». Valeant igitur Parcae illae, et homines quaerant

*Vervecum in patria crassoque sub aëre natos,*

[312]

aut «Abderitanae pectora plebis habentes», quibus ista stamina nere possint, et longam aut brevem aetatem dispensare de calathis. Nam, sive illarum fautores, Platonicos numeros, in auxilium evocent, quos «fatum et fatalia vitae tempora», idcirco vocabat Macrobius, quoniam ex Plotino<sup>303</sup> eorum certam constitutamque rationem animas sociare corporibus didicerat: sive ad Aegyptiorum observationem recurrent, qua Dioscorides Astrologus asserebat, cor hominis ad annos usque quinquaginta crescere, duabus scilicet drachmis quolibet anno, et a quinquaginta usque ad centum decrescere, totidem nimurum drachmis; ex quo perspicuum erat, referente Censorino<sup>304</sup>, «cor centesimo anno redire ad anni primi pondus, nec longius vitam posse produci»: sive denique ad aliquod aliud ignorantiae suae asylum confugiant, ut rei, quae nulla est, et a nullo, qui clare et absque fabularum ambage loqui velit, capi potest, pro viribus patrocinentur. Nunquam tamen efficient, ut fatis plus quam

[313]

fabulis, et fatuis ipsis, credatur.

<sup>300</sup> Marginalia: Aeneid. 12

<sup>301</sup> Marginalia: Lib. 2. de. vit. ca. 20.

<sup>302</sup> Bisogna leggere *curis* (come nell'edizione 1639) et non *curris*.

<sup>303</sup> Bisogna leggere *Plotino* e non *Plautino*.

<sup>304</sup> Marginalia: Cap. 17 de die natal.

34. Et sane, dummodo ipsi etiam communi sectarum affectu deposito, et mente ita ad veritatis indagationem composita, ut nihil, nisi quod solidum crepet, admittat, proprius in leges istats fatorum inevitabiles inquirere velint, eaque incommoda et inconvenientia diligenter examinare, quae vel ex uno tantum certo, determinatoque vitae exitu, non in medicinam modo, sed in homines ipsos, et res omnes proveniunt: nullus equidem dubito, quin mecum futuri sint, veteribus illis avijs depositis, in ea opinione constantes, quod calor nostro nativo, ut<sup>305</sup> «Vestae, quae custos erat rerum intimarum», fateisque imperij pignus continebat, potius quam fato ipsi, «omnis et precatio, et sanificatio, extrema esse debeat». Nam, ut aliqua ex illis incommode per saturam afferam. Si certum est, nos ex morbo convalescere aut interire fatorum arbitrio, Medicus<sup>306</sup>

*Frusta vincere morbum*

*Nititur et medicas exercet inaniter artes.*

[314]

sed eorum negotium fatorum decretis permittendum est; quae eodem perinde recident, sive Medicus reluctari venientibus morbis veluerit, aut eosdem libere in hominum perniciem grassari permittant: et ex consequenti perperam etiam Hippocrates scripsit, quod<sup>307</sup> «exquisitam morborum cognitionem habere Medicum oportet, siquidem morbos abigere velit, et sanitatem eorum loco restituere»: quinimo longe sua opinione falsi omnes illi Medici fuerint, qui vel producendae vitae praecepta tradidere, ut Cardanus, Lessius, Cornatius, Thomas Philologus, Ferdinandus Eustachius, Epiphanius, Zephyrius, Pansa, Ficinus, Verulamius, Diodatus, et mille alij, qui hoc potissimum in libris suis contenderunt, ut homines, quos ἀγηρασία, sive, ut ita loquar, «insenescens» donare non poterant, πολυχρόνιοι saltem efficererunt: vel qui continuo, ut chymistae κρατισοχειρουργήματα sua jactant, vividos nimirum lattices, olea incombusta, heras hermeticas, panaceiam, mumiam

[315]

magneticam, aurum potabile, pulveres vipereos gemmatos, besoardicos, theriacales essentias, tincturas, aliptas divinas, nectaresque, et id genus remedia, quibus nihil minus homines illi, quamquam meo judicio, in hoc tantum, quod Fatis nihil concedunt, sapientibus annumerandi, pollicentur, quam vietos omnes, et aetate cassos tam facile revicturos quam Medea Aesonem fecit<sup>308</sup>,

*Quem medicamentis, et suis venenis dicitur*

*Fecisse rursus ex sene adolescentem.*

Praeterea cum Juvenalis dixit<sup>309</sup>,

*Quos Themison aegros*

*Autumno occiderit uno,*

dubitatur merito, quodnam hac in strage fatum culpandum sit; Themisonis scilicet tot homines «illuc unde negant redire quemquam», errore proprio demittentis; an aegrorum, suo maligno sydere, non autem Medici culpa, pereuntium. Sed utrovis tandem fato mors contingat, certe cum haec ab antecedentibus causis ducat

[316]

originem, oportebit homines fato largioribus poculis indulsisse, fato comedisse quae noxia sunt, fato deabus «Premae, et Pertundae», deoque «Subigo» litasse frequentius: et nihil demum in vita atque in hominum actionibus erit, quod non sit fato tribuendum. Enimvero, si

<sup>305</sup> Marginalia: Lib. de nat. deor.

<sup>306</sup> Marginalia: Ovid. de Metam. lib. 2.

<sup>307</sup> Marginalia: Libr. de morbis.

<sup>308</sup> Marginalia: Plaut. in Pseud. cap. 3. scen. 2.

<sup>309</sup> Marginalia: Satyr. 10.

ea vis est fatorum, et potestas; cur illam non cognovit Philo Iudeus, dum asseruit<sup>310</sup>, «quod multum abest ut *λογοιατρεία* morbos juvet; remedijis enim, chyurgijs et dietis morbos curari?». Cur ad hanc non se convertit Herodotus, potius quam in temporum constitutiones, quae in Aegypto non mutantur, ut causam redderet, cur «Aegyptij sint omnium post Libyas virorum sanissimi, Αἰγύπτιοι μετά Λίβυας ὑγιέστατοι πάντων?». Cur Seneca intemperantiae mavult ea remediorum genera tribuere, quae<sup>311</sup> multum ab antiquis diversa novorum subinde morborum seges in Medicorum Tabernas intulit. «Medicina», inquit ille, «quondam paucarum fuit scientia herbarum, quibus sisteretur fluens sanguis, vulnera coirent. Paulatim deinde in hanc pervenit multiplicem

[317]

varietatem. Nec est mirum, illam tunc minus negotij habuisse, firmis adhuc, solidisque corporibus, et facili cibo, nec per artem voluptatemque corrupto; qui postquam coepit, non ad tollendam, sed irritandam famem, quaeri, et inventae sunt mille conditurae, quibus aviditas excitaretur; quae desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis. Inde pallor, et nervorum vino madentium tremor, et miserabilior ex cruditatibus, quam ex fame, macies. Inde incerti labantium pedes»: etc. Quae multis vir ille sapientissimus prosequitur; cum paucioribus longe potuisset fatorum inclem tam, quam hominum ingluviem accusare. Praeterea quid causae fuit Tyberio, ut sexagenarium rideret qui Medicum consulebat, si aequa peccant alij, dum in florente, aut nondum adulta aetate plus medico, quam fato confidunt? Quid Hippocratem impulit, «ut sub cane, et ante canem difficiles esse purgationes et temporum mutationes morbos efficere diceret», totque alia nobis traderet Medicinae, certis temporibus, et locis, atque personis, aliter atque

[318]

aliter faciendae, praecepta, si susque deque illa habenda sunt, et fatorum tabulis, nullo discrimine res humanas habentium, administrantiumque, non autem Medicinae legibus, sanitas ipsa subdita est? Quid demum Pyrrho Regi, post Alexandrum virtute bellica nulli secundo, in mentem venit, ut toties dijs vota faceret perpetuae veletudinis adipiscendae causa, si fati, non deorum, fuit, τό γενίαν hominibus concedere? Sed lubens quoque peterem, an casu, vel fato contigerit, quod «Phalereus» aut (si Valerio Maximo potior, quam Plinio fides est habenda<sup>312</sup>) Phaereus Iason «tum deploratus a medicis vomicae morbo, cum mortem in acie quaereret, vulnerato pectore Medicinam invenit ex hoste». Itemque num Aulus Tyrrhenus quem<sup>313</sup>

*Torta caput retro dipsas calcata momordit,*

sponte sua fatalibus causis adductus, venas sibi omnes reserari jussit, cum sitis ardentissimae cruciatum longe morte ipsa toleratu difficultorem judicasset?

[319]

Atque fieri eadem quaestio potest de Corellio Rufo<sup>314</sup>, qui diurna, summeque molesta pedum valetudine conflictatus; admonentique medico, cibum ut caperet, κέκρικα, id est, «statui», inedia, scilicet, finem ejusmodi doloribus afferre, respondit. De Festo, quem Martialis eo potissimum nomine celebrat, quod<sup>315</sup>

*Indignas premeret pestis cum tabida fauces,*

*Inque ipsos vultus serperet atra lues,*

<sup>310</sup> Marginalia: Libr. de congress. erudit. gratia. In interp.

<sup>311</sup> Marginalia: Epist. 95.

<sup>312</sup> Marginalia: Libr. 7. cap. 50. Lib. 1. cap. de mirac.

<sup>313</sup> Marginalia: Lucan.

<sup>314</sup> Marginalia: Plin. Epist. 12. lib. 1.

<sup>315</sup> Marginalia: Epigram. 79. lib. 1.

*Siccis ipse genis flentes conspectus amicos  
Decrevit Stygos Festus adire lacus.*

De Catone Uticensi, de Brasida, de Bruto, de Servo Lacedaemonio, et mille alijs *αυτοχειρία* malis suis remedium quaerentibus. Quorum omnium frustra laudatur animus fortitudine ad miraculum usque imbutus, nisi a voluntate libera hunc fuisse, non autem a fato, perspicuum sit. Denique si fatum de vitae hominum termino statuit, cur tanta in illo diversitas, et aliqui in ipso infantiae aditu pereunt<sup>316</sup>,

*Ostentati, raptique simul,  
Solstitialis velut umbra solet?*

[320]

Alijs vero, ut inquit Seneca, «ne centesimus quidem annus aetas extranea est?». Cur petulci, et salaces viri, tum succi melancholici plurimum habentes, corpore parvi et in locis planis degentes, facilius senescunt, qua illi, qui diversa conditione praediti sunt? Cur pisces minus, quam caetera animalia, vivere dicuntur Aristoteli, et Theophrasto?<sup>317</sup> Et ipsi inter se comparati, magis vivaces in salsis, quam dulcibus aquis existunt? Cur animalium vita finibus tam varijs et incertis concluditur? Et elephantes, verbi gratia, trecentos annos superant? Cameli infra centesimum consistunt? Equi ne ad quinquagesimum quidem accedunt? Boves, et canes, infra duodecim viribus linquuntur? Et generatim loquendo, mascula foeminis, sylvestria domesticis, grandiora pusillis, tardius in utero conformata, citius eodem in vase perfectis, atra cute potius quam alba et exiguo quam magno capite praedita, pilis denique munita glabris; et carnibus crudis potius quam herbis, glande aut alijs rebus

[321]

pasta, vitam in longiores annos protrahunt? Tandemque cur in plantis, quarum, scilicet, eadem est cum animalibus ratio vitae aut mortis, sylvestribus diuturnior est aetas quam cultis; ut oleastro quam oleae, ac pinastro quam pino; et acidis, quam dulcibus amygdalis; ac in arenibus locis, quam quae in humentibus proveniunt? Sane cum tot quaestionibus, sola ad fatorum tribunal, ita res humanas pro arbitrio disponentium, provocatione, fieri satis possit, miseret me profecto tot Philosophorum, qui istud in plantis contingere volunt: quoniam culta vim suam in fructuum ubertarem exerunt, inulta vero in frondes et ramos, quorum viorem gratissimum multae in maxima frigoribus et regionum asperitate diutissime conservant: tum etiam quia ars ipsa, et cultus arborum, naturam mollicie quadam violare, et laxare solet. Neque felicius item in animalibus coeli clementiam considerant, aut firmam robustamque corporis temperiem,

[322]

regionum situs, aëris, et aquae qualitates, principum membrorum naturam, victus ciborumque rationem, et alia ejusmodi: quibus si casus inopinatos addideris, vulnera, inquam, ruinas, venena, lapsus, incendia, penuriam, extremam, eluvionemque, aut naufragia, pestem, grassantesque nullo discrimine morbos, merito quis dixerit, nugari probos illos et doctos homines, qui in re, quae, modo non a fatis separetur, manifesta est, tam anxie versantur, totque ambages et tenebras ostendunt, ut caeteros omnes, etiam in meridie caecutire faciant.

35. Nimirum patere jam opinor ex istis quod<sup>318</sup>  
*Lupis et agnis quanta sortito obtigit,*

<sup>316</sup> Marginalia: Ausonius in parent.

<sup>317</sup> Marginalia: Libr. de vit. diuturnit. cap. 2. Libr. 4. de causis. Plut. cap. 4.

<sup>318</sup> Marginalia: Horat. Odys 4. lib. Epop.

tanta fatis et rationi discordia est, ita ut simul

*Non bene convenient, nec in una sede morentur.*

Quae illorum, ut hominis, sunt consectanea; quoniam, ut dicebat poëta quidam non illepidus<sup>319</sup>,

*Ratio est ubicumque profecto,*

[323]

*Est ibi et arbitrium, semperque haec juncta cohaerent.*

Atque, ut idem paulo post subjungit,

*Est ratio lumen quoddam, atque animi vis*

*Qua curvum a recto discernimus, atque ab honesto*

*Turpe; oculusque solet mentis quandoque vocari.*

Fatum vero ita suas actiones peragit, ut causam earum nemo intelligat, nemo rationem videat, ac ne modum quidem assequatur, quasi omnes in Democriti puteo fierent, aut in Platonis antro, ubi nec indagini philosophicae locus est, nec ullus homo, quantumlibet aciem ingenij intendat, conjecturis suis eo demum pervenire potest, ut quamobrem adeo dispare erga genus humanum fatorum actiones, cognoscat. Nec mirum sane; cum res, quae sola quorumdam blennorum imaginatione constant, non ratione a sapientibus deprehendi, sed supina tantum credulitate opinionem aliquam sui apud incauros excitare soleant.

[324]

36. At interim, dum fatorum asseclae, sacrum illud divinae vocis oraculum, quo certo certius constat, vitae nostrae terminum, non in fati, sed in nostra situm esse potestate, convenienti aliqua explicatione, sibi suisque dogmatibus non esse contrarium, ostendent, haec dicit Dominus<sup>320</sup>: «Ecce ego do vobis viam vitae, et viam mortis. Qui habitaverit in urbe hac morietur gladio et fame et peste: qui autem egressus fuerit et transfugerit ad Chaldaeos qui obsident vos, vivent, et erit ei anima quasi spolium. Posui enim faciem meam super civitatem hanc in malum et non in bonum». Age, Beverovici, quod mihi in hoc opere supremum est, ut quasdam, scilicet, cum ex sacris, tum ex profanis auctoribus allatas supra in hanc meam determinationem de vitae termino auctoritates, nullo modo ipsam labefactare posse demonstrem: et tu quidem, hasce cogitationes meas legendo, et ego illas chartis sub tuo nomine aeternum victuris consignando, perficiamus. Cum igitur dictum illud Iobi<sup>321</sup>, «Breves dies hominis et

[325]

numeris mensium apud te est; constituisti terminos ejus, qui praeteriri non poterunt»; magna spe et ostentatione victoriae ab adversarijs proferatur: non video tamen, unde tantum ex illo fiduciae concipere debeant. Nam fateor quidem, mensium numerum apud Deum libere agentem designatum et terminum vitae nobis praefixum esse: non tamen absolute aut fatali quopiam decreto, sed habita ratione causarum secundarum quarum operationes ita nonnunquam Deus promovet, ut cum necessarijs concurrat necessario, cum contingentibus contingenter, et cum omnibus eo modo, qui consequendo earum fini accommodatus sit; quamadmodum docent Theologi in primum sententiarum scribentes et praesertim Divus Thomas<sup>322</sup>, ubi rationes affert, quamobrem Dei concursus cum causa necessaria, necessitatem efficiat, et cum contingentи contingentiam, atque ita vitam ipsam proferat, aut

<sup>319</sup> Marginalia: In Scorpio.

<sup>320</sup> Marginalia: Hierem. cap. 21.

<sup>321</sup> Marginalia: Cap. 14.

<sup>322</sup> Marginalia: Distinct. 38 39. 1 part. Summ. quaest. 14 art. 3. Quaest. de verit. art. 3. ad. 7 et 8.

coarctet, prout eandem causae naturales producere aut corripere debabant. Qui modus explicandae

[326]

praescientiae, certissimus est juxta, acceptissimusque Theologis omnibus. Sed contingit etiam aliquoties, ut Deus earumdem causarum naturales cursus immutet, promoveat, impedit, remoreturque, prout ipsi visum fuerit indulgentem se aut severum meritis nostris praebere. Atque ut specimen aliquod utriusque illius divinae actionis in Quaestione de vitae termino, quae nobis p[re]e manibus est, exhibeam. Sic hominibus vitae tempora ex naturali rerum ordine determinata a Deo fuerunt, ut tamdiu homo sospes et vitae secutus degat, quamdiu calidum ejus innatum per medicamenta, cibosque convenientes, et laudabilem vivendi modum reparari potest: cui uni actioni perficiendae, elementa simul et alimenta: laborem, et quietem; diem et noctem; ejusque generis praesidia multa, Deus ipse praeparavit: quibus si homo vota, precesque adjungat et omnibus uti recte noverit, vitae suae spaciū, et terminum, juxta promissionem Dei, complebit, sic dicentis in Exodo<sup>323</sup>, «Servietis Domino Deo

[327]

vestro, ut benedicam panibus tuis et aquis et auferam omnem infirmitatem de medio tui: et numerum dierum tuorum complebo»: quod item pollicetur in Decalogo parentes venerationi habentibus, dum inquit<sup>324</sup>, «Honora patrem tuum et matrem tuam ut sis longaevis super terram». Si vero quis Stoicorum deliria, nugasque, secutus, ea relinquat, quibus ad gratiam obtinendam opus est, cultumque Dei negligat, ille ut temeritatis suae poenas aliquando ferat, justiciae divinae consentaneum est. Propterea Regius Psaltes dicebat, «Viri sanguinum et dolosi dimidiabunt dies suos». Et Moyses his verbis populo Israëlitico Dei voluntatem significavit; «Si autem aversum fuerit cor tuum, et audire nolueris, atque, errore deceptus, adoraveris deos alienos et servieris eis praedico tibi hodie, quod pereundo peribis, et non prolongabis dies super terram». Quae loca, etsi statim initio hujus disceptationis, nihil mihi cum Theologis futurum dixerim, eo tamen confidentius attuli, quia praeterquam manifeste ponunt ob oculos, qualis sit divinae voluntatis

[328]

cum naturali rerum dispositione consensio, tum vero luculenter etiam demonstrant, quo sensu accipienda sint verba illa Iobi, quae ab adversarijs prima omnium in certamen producta sunt, quasi magnopere contraria forent huic, quam supra tulimus, in fatalem vitae terminum sententiae. Sequuntur Aristotelis testimonia, hominis quidem tanta judicij et eruditionis laude praecellentis, ut, cum ea dictare auditoribus suis consueverit, quae ad discutiendas errorum tenebras, pravarumque opinionum evertenda monstrata, sola, sublatis aliorum auctorum Commentarijs, posteritati sufficienter, mirum esset profecto, si in hac quaestione adeo sibi dissimilis fuisse, ut fati, cui nullum in natura locum reliquit, plurimam demum vim esse ad hominum exitus pro arbitrio suo temperandos concederet. Dicam igitur potius, mentem summi philosophi<sup>325</sup>,

*Natura numquam verba cui potuit dare,*

his in locis fuisse, ut de animalium omnium genere constitutis, pariendi, et vivendi temporibus, loqueretur, eaque

[329]

regi certa mensium periodo persuasum haberet; ita ut, licet aliqua diutius uterus ferre, et tardius parere, aliqua secus facere soleant, eodemque modo vitae periodus non fit omnibus

<sup>323</sup> Marginalia: Cap. 25.

<sup>324</sup> Marginalia: Exo. cap. 20.

<sup>325</sup> Marginalia: Phaed. 42. lib. 3.

aequalis, omnia tamen certis legibus, et terminis, fines suos consequantur; non aliter profecto quam, sub finem primi meteororum, idem dixerat, mutationes terrarum in aquas, et e converso aquarum in terras, fieri διὰ χρόνων εἰμαρμένων. Qua verba, quomodo ad Peripateticorum mentem explicanda fint, jam ante docuimus. Avicenna quoque eo loco, quem adversarij proferunt, illud tandem probare contendit, quod unumquodque individuum, pro ea temperamenti nobilioris, aut debilioris, proprietate, quam a natura adeptum est, validius etiam aegritudinibus resistit, et tardius, aut proclivius, tendit ad interitum. Denique versibus illis qui triariorum loco extremi in aciem producuntur *αντίμαχον* ego Galenum opponam. Qui in primo de sanitate tuenda, cum duos praecipuos scopos conservandae sanitatis

[330]

attulisset, effluentis nimirum nobis substantiae, cibo, potu, novique aëris attractione, reparationem, et excrementorum evacuationem; tertium tandem addit, non tam valetudinis tuendae, quam prorogandae vitae scopum. «Tertius, inquit, qui huc spectat, ne animal praepropere senescat, duos jam dictos necessario comitatur», hoc est, «ut vigoris, et juventae, seu florentis aetatis tenorem quam longissime servet». Prohibere autem, ne quis cito senescat, atque ut in flore aetatis diu permaneat, numquid hoc est, vitam salutaribus artis medicae praesidijs extendere, et prorogare? Licet enim temperamentum laudabile, et exquisitum, perfecta sui ipsius cognitio, firma corporis compages, origo a parentibus validissimis, et inculpata sanitate praeditis, habitatio in regionibus temperatis, et grata, florensque perpetuo, quasi vere, coeli clementia, vitae longissimae et saluberrimae in hominibus causae sint longe potentissimae; frustra tamen illis confidit, qui non aequa sollicitus est de proba et legitima

[331]

victus ratione: quam Galenus adeo necessariam esse diutissime vivere volentibus existimabat, ut aliquando conceptis verbis dixerit<sup>326</sup>, «qui salubrem vivendi rationem ignorant, hos citius quam pro natura ratione interire». Quoniam, ut Poëta gravissimus et hominum moribus fingendis apprime conducens Horatius dicebat,

*Frustra vitium vitaveris illud,  
Si te alio pravum detorseris.*

37. Unde neque Platonis effatis, neque Stoicorum commentis, in vitae ratione fidendum existimo; quorum partim ficta manifeste, partim effutita temere, numquam, ne mediocribus quidem ingenij, tantum abest ut prudentibus viris, probata sunt; sed libera voluntate, quam nobis Deus indidit, et medicina, quam idem ex coelo creavit, rationeque et consilio, ac in omnibus moderatione, utendum si velimus recte, confidenterque, in sanitatis et vitae longas in aetates producendae negotio, versari. Reliqua enim, quae secus consuluntur, fabulae sunt ex

[332]

Poëtarum numeris contextae, et quisquiliae Platonicorum, et nugae de Stoicorum porticu<sup>327</sup>. «Quae», ut inquit Cicero, «delectationis habeant quantum voles; verbis, sententijs, numeris, cantibus, adjuventur; auctoritatem quidem nullam debemus, nec fidem, commenticijs rebus adjungere». Quamobrem ego te, Beverovici Clarissime, majorem in modum rogo, hortorque, licet minime omnium hujusce admonitionis meae indigeas, ut quemadmodum alacriter coepisti homines fatorum compedibus et metu vanissimo liberare, ita in posterum

<sup>326</sup> Marginalia: Lib. de sanit. tuend.

<sup>327</sup> Marginalia: 2 De div. nat.

constantissime pergas, non minus tuae quam mortalium omnium dignitati, consulere; quae nunquam nisi a calcato fato amplissima, et numeris omnibus absoluta esse potest<sup>328</sup>.

*Spirat nim majora animus, seque altius effert  
Sideribus; transitque vias, et nubila fati,  
Et momenta permit pedibus, quaecumque putantur  
Figere propositam natali tempore sortem.  
Libera Secta patet, nil sunt fatalia: vel si  
Sunt aliqua, opposita vanescunt irrita Christo.*

---

<sup>328</sup> Marginalia: Prudent. lib. postr. contra Symmach.